Acc. to Soc Bibl Nat. Hist. 3:135. 1956

Plates 1 (Stiftia) and 7 (Vellosia) drawn by Ferdinand Bauer; together with analysis of pl. 2 (Conchocarpus)

Plates 2, 9, and 14 by Buchenberger in Brazil from living plants

Plates 19, 20, 21 by Satorg.

Dates:

Fasc. 1 (late 1820)
Preface, [pls. 1-6].

Fasc 2 (mid-1822)
[pls. 7-12]

Fasc 3 (July - Oct. 1823)
[pls. 13-18]

Fasc 4 (1825
[pls. 19-24]

C. W. L.

METTERNICH - WINNEBURG

PRINCIPI

IN. OCHSENHAUSEN

DIFFICILLIMA . AUSTRIAE

EUROPAE . DISCRIMINA

MODERANTI

PACIFICANTI

ARTIUM . MUSARUM

AMICO

CULTORI

MAECENATI

HUNC

FLORAE ET FAUNAE

BRASILIENSIS

DELECTUM

D. D. D.

J. C. MIKAN.

(10a)

FOLIO
QH117
.M55
1820-25

DELECTUS

FLORAE ET FAUNAE

BRASILIENSIS

JUSSU ET AUSPICIIS

FRANCISCI I.

AUSTRIAE IMPERATORIS

INVESTIGATAE.

AUCTORE

J. C. MIKAN,

M. D. BOTANICES IN UNIVERSITATE PRAGENSI

PROFESSORE.

MISSOURI
BOTANICAL
GARDEN.

VINDOBONAE,

SUMTIBUS AUCTORIS, TYPIS ANTONII STRAUSS.

1820.

PRAEFATIO.

Trado tibi, Lector benevole! florae et faunae, quam naturae scrutatores adhucdum Brasiliam peragrantes uberiorem facile in lucem sunt edituri, quasi primordia. Temporis enim, per quod ibi degere mihi licuit, angustiae *) non nisi regni vastissimi, omni viventium genere luxuriantis limites attingere concesserunt. **) Elucescat paucis his tabulis, quot quantisque Brasilia et animalibus et plantis, nobis hucdum incognitis abundet.

Nolui, jam ab aliis publicata denuo depingere et describere; incognita potius vel minus cognita communicare, mihi proposui. Attamen ob ingentem copiam rerum naturalium, quae ex fertilissima illa terrarum regione in omnes fere Europae provincias continuo transferuntur, facile accidere potuit, unum alterumve promulgatum a me fuisse, quod, me inscio, alibi jam in lucem prodiisset; nam perarduum est, omnia, quae Botanicam et Zoologiam pertractant, opera sat cito sibi comparare, quod vel pretii caritas, vel rarum cum terris, ubi prodeunt, commercium nonnunquam prohibet. Ne tamen hoc in litterario negotio quaedam mihi objiciatur negligentia, multa industria prae caeteris sequentes consului auctores botanicos:

Curtis Botanical Magazin. Vol. I. – XLIV, et Voluminis XLV tab. 2015 – 2077. *Humboldt et Bonpland Plantae aequinoctiales. Fasc. I. – XVI. Eorumdem Genera et species nova plantarum. Fasc. I. – XII. Nicol. Jos. de Jacquin Stirpium americanarum historia. Ejusdem Icones plantarum rariorum Vol. I. – III. Ejusdem Hortus Schönbrunnensis Vol. I. – IV. Ejusdem Fragmenta botanica. Jos. Franc. L. B. de Jacquin (filii) Eclogae plantarum Vol. I. Rudge Plantarum Guianae rariorum icones et descriptiones. Fasc. I. – IV. Ruiz et Pavon Prodromus florae peruvianae et chilensis. Eorumdem Flora peruviana et chilensis. Tom. I. – III. Thunberg Plantae brasilienses, Decas prima* (1817), *et altera* (1819).

His in operibus plurium reperi plantarum descriptiones et icones, quas novas putabam, cum in Brasilia moranti mihi, praeter Persooni synopsim plantarum, Willdenowi species plantarum et Aubleti historiam plantarum Guianae, nihil ad manus fuerit subsidii botanici. Sortem eandem expertus sum in definiendis animalibus ibidem a me collectis, nam duces solummodo aderant: Linnéi Systema naturae editio Gmeliniana, et Fabricii Entomologia systematica emendata et aucta. Quapropter quoad faunae hunc delectum opera zoologica pervolvi praecipue sequentia:

La Cépède Histoire naturelle des quadrupèdes ovipares et des serpens. Tom. I. – II. Cuvier Le règne animal, distribué d'après son organisation. Tom. I. – IV. (1817). *Daudin Histoire naturelle des reptiles. Tom. I. – VIII. Latham Index ornithologicus Tom. I. – II. cum Supplemento. Merrem Beyträge zur Naturgeschichte der Amphibien. Heft I. – II. Schweigger Prodromus monographiae Cheloniorum. Shaw General Zoology. Vol. I. – IX. Vieillot Histoire naturelle des oiseaux de l'Amérique septentrionale. Tom. I. – II.*, nec non: *Azara Voyage dans l'Amérique meridionale. Tom. I. – IV.*; et ob tractatus, quos continent tam zoologicos quam botanicos: *Annales du Museum d'histoire naturelle. Tom. I. – XX. Mémoires du Museum d'histoire naturelle. Tom. I – III. Magazin der Gesellschaft naturforschender Freunde zu Berlin. Jahrgang I. – V. Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle. Tom. I. – XXXVI.* (1816 – 1819.) *Transactions of Linnean Society. Vol. I. – XII.*

---

*) Decem cum dimidio mensibus vix elapsis, quod ego temporis intervallum, difficultatum, quae majora sub coelo peregrino itinera molientem exspectant, ignarus, ad solam praeparationem sufficere reperi, jussu Legati caes. reg., ut res hucusque collectas incolumes in patriam reportarem, Vindobonam repetii; eoque ulterioribus rerum, quae terra brasiliensis fert, investigationibus nimis cito ereptus.

**) Colligendis plantis et animalibus plagas Sebastianopolim (*S. Sebastian do Rio de Janeiro*) circumjacentes peragravi, paucis horis abinde distantes. In itinere vero versus Cabo frio, viginti circiter milliaribus germanicis ab urbe discessi.

Quodsi proinde quaedam a me tanquam nova proferantur, quae in aliis jam libris prostant, operum quo premor defectui hoc tribuat Lector, meas adumbrationes, si non priores, fors tamen exactiores inventurus. Quare nec in hoc casu oleum me operamque perdidisse timeo.

Nova plantarum genera propono: Stifftiam, Conchocarpum et Dichorisandram; quarum nullibi, quousque compertum habeo, mentio facta est. Velloziae per Vandelli primo divulgatae, nec in ulla systematis vegetabilium editione nominatae, novam simul speciem offero *).

Lanium, quem nullibi descriptum credidi, ejus imagine et descriptione lapidi et prelo jam commissis, nuperrime promulgatum inveni ab Ornithologo Vieillot **). Reptilia, quae accedunt, hucusque naturae scrutatoribus incognita puto.

Quas hic trado icones, in ditionibus austriacis prima artis lithographicae, in adumbrandis rerum naturalium imaginibus conamina sistunt, in quibus efformandis non exiguas ab initio difficultates, artem recens natam plerumque prementes offendi. His tamen superandis eam operam atque studium opposui, ut non solum naturae indagatoribus, sed et artis lithographicae cultoribus satisfactum esse confidam.

In examinandis plantis atque animalibus opem tulere caes. reg. Bibliothecae, imprimis librorum collectio selecta, ad rerum naturalium Museum c. r. aulicum spectans, cujus ut et rerum ex Brasilia allatarum usus omni liberalitate mihi concessus fuit. Quoad botanicam hujus operis partem vel libris, vel cogitatis communicatis subsidio mihi erant: L. B. de Jacquin, Trattinnick et praematura morte scientiae botanicae ereptus Universitatis Hortulanus Schott; quod Zoologiam attinet, gratias sibi vindicarunt: Josephus Natterer, Musei rerum naturalium c. r. aulici Custos (illius, qui Brasiliam hucusque transmigrat, frater), Ornithologiae deditus, et Leopoldus Fitzinger, qui Amphibiologiam studio fervidissimo colit. Plurimum, ut fatear, debeo amicissimo et promovendae bonae rei studiosissimo Ferdinando Bauer ***), qui plantarum notatu dignissimarum: Stifftiae et Velloziae icones ad siccata quidem exemplaria, sed ad expositos simul a me viventium characteres tanta dexteritate efformavit, ut plane ad vivum delineatas esse putes. Illi quoque debeo analyses exactissime delineatas Stifftiae, Velloziae et Conchocarpi. Hujus et Dichorisandrae primas lineas duxit in natalibus campis, vivosque addidit colores plantarum pictor c. r. Buchberger, qui lapsu infelici laesus, mecum in Europam properare coactus est. Nec gratias referre negligam rerum naturalium pictori c. r. aulico Knapp, qui singulari fide et elegantia plantarum delineationes in lapides transtulit.

Consilium, quod cepi, exiguam hanc iconum et descriptionum seriem ulterius continuandi, alter, qui brevi in lucem prodibit, fasciculus confirmabit. Si vero res minus secundae illum jam ultimum esse juberent, integrum tamen, Lector benevole! consideres velim hoc opusculum, quo particulam saltem non inutilem ad magnum illud physiographiae brasiliensis monumentum contulisse putabo, cujus fundamenta jam saeculo penultimo a Pisone et Marcgravio sunt posita, ad quod exstruendum Botanici celeberrimi: Vandelli, Mutis, aliique multum contulere, et ad quod perficiendum tot tantique Naturae scrutatores, quos inter principis germani ****) nomen fulget, Brasiliam petebant hodieque petunt.

---

*) In altero delectus hujus fasciculo promulganda.

**) Nouv. Dict. d'hist. nat. Tom. XXXV. pag. 200. *Le Vanga gris (Tamnophilus cinereus).*

***) Inclaruit itinere circa globum terraqueum, duce Capitaneo maritimo Flinders suscepto, quo multa naturae producta, eaque admiratione dignissima detexit, praesertim in nova Hollandia, ubi primas simul duxit lineas iconum, quibus prodromum florae novae Hollandiae socii itineris fidissimi Brown illustravit.

****) Maximiliani Principis de Wied-Neuwied conamina jam fertilia nemini eruditorum non sunt cognita.

STIFFTIA.

SYNGENESIA, Polygamia aequalis. Linn.
Ordo naturalis: CYNAROCEPHALAE. Juss.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Calyx imbricatus: squamis integerrimis obtusis, interioribus elongatis. Corolla flosculosa: corollularum laciniis in spiram revolutis. Pappus sessilis, simplex. Receptaculum nudum, tuberculatum.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Calyx turbinatus, imbricatus: squamis integerrimis, obtusis, exterioribus ovatis, intimis elongatis linearibus. Corolla flosculosa, calyce plus duplo longior. Flosculi hermaphroditi, tubo corollulae basi angustato, sursum ampliato, subangulato, quinquefido: laciniis linearibus, in spiram revolutis. Filamenta corollulae a basi ad faucem innata, superius arcuatim conniventia. Antherae in tubulum teretem apice quinquedentatum connatae, infra medium filamentis affixae, plus dimidio corollulae tubo exsertae; basi bifidae, obtusae, libere dependentes. Germen oblongum. Stylus filiformis. Stigma bilamellatum. Semen basi umbilicatum, oblongum, utrinque attenuatum, striis elevatis costatum. Pappus sessilis, setosus: setis numerosissimis, coloratis; corollam aequans, semine parum longior. Receptaculum nudum, foveolato-tuberculatum: foveolis tuberculа recipientibus.

Habitus. Arbuscula biorgyalis vel humilior, inermis, a medio ad summitatem ramosa. Rami erecti, approximati. Folia alterna, brevi-petiolata, patentia, ovato-lanceolata, integerrima, glabra. Flores terminales, solitarii. Pappus exsertus, flosculos aequans, coloratus.

Affinitas. Ad Johanniam accedit elegans haec arbuscula, cujus speciem esse credidit celeberr. Dr. Martius, sed pappo simplici, receptaculo nudo et flosculis cum pappo calycem longe superantibus ab illa distinctissima.

Etymologia. Genus dicatum lib. Baroni de Stifft, Caes. Reg. Ap. Maj. ad suprema status gubernacula a Consiliis, Archiatrorum Comiti, per universas ditiones austriacas Protomedici et studiorum medicorum summo Praesidi, ordin. St. Stephani equiti etc. etc., qui conatibus indefessis studii medici per Austriae imperium et fundamenta consolidat et fontes auget, qui rem botanicam tuetur, cuique, praeter alios in me collatos favores, itineris in Brasiliam occasionem me debere, gratus testor.

STIFFTIA CHRYSANTHA.

Crescit prope Sebastianopolim (Rio de Janeiro) in dumetis montium ad aquaeductum, floribus magnis aurantiacis Botanicum e longinquo alliciens. Floret Majo, ad finem Julii.

Caulis arborescens, a medio ad summitatem ramosus, 8 – 12 pedes altus, basis diametro plerumque uncias duas aequante. Cortex rimosus, testaceo cinereoque varius; liber fuscus, cortici arcte adhaerens, a ligno facile separabilis; lignum albidum, durum; medulla obscuriore, parum molliore, diametro lineas tres non excedente.

Rami alterni, elongati, flexuoso-virgati, erecti, albido-testacei; ramulis brachiatis, erectis.

Folia alterna, brevissime petiolata, patentia, ovato-lanceolata, integerrima: margine tenuissime reflexo, apice producto, obtuso; subcoriacea, utrinque glabra: venulis teneris numerosissimis versus marginem arcuatim anastomosantibus notata, supra saturate viridia, subtus parum pallidiora,

venulis magis conspicuis, nervo elevato pallido; longitudine et latitudine inter se diversa: majora quinquepollicaria, 20 lineas lata; minora 3 pollices et 10 lineas longa, 9 lineas lata.

Petioli semiteretes, supra subcanaliculati, basi crassiusculi, 3 – 4 lineas longi.

Flores solitarii, terminales, magni (explicatorum diametro tres uncias aequante), pedunculati.

Pedunculi mediocres (8 – 11 lineas longi), apice incrassati, squamulis acutulis imbricatim tecti, his in squamas calycinas sensim abeuntibus.

Calyx ante anthesim cylindricus, flore aperto turbinatus, semine maturo plano-patens, imbricatus: squamis integerrimis, utrinque nudis, intus glaberrimis, viridibus, dorso fuscatis, marginibus pallidis; extimis minimis rotundatis acutulis, intermediis gradatim majoribus ovatis, intimis elongatis linearibus, his et intermediis obtusis.

Corolla flosculosa, calyce plus duplo longior, aurantiaca.

Flosculi circiter quadraginta, hermaphroditi, tubulosi: tubo basi angustato, sursum ampliato, subangulato, quinquefido: laciniis linearibus, dimidiam tubi longitudinem superantibus, in spiram revolutis; excisuris interjacentibus acutangulis.

Stamina: filamenta 5 filiformia, tubo corollulae a basi ad faucem innata, demum libera et ad susceptionem antherarum arcuatim conniventia, albo-flavescentia. Antherae in tubulum teretem stramineum connatae, biloculares, infra medium filamentis affixae: basi bifidae, obtusae, libere dependentes; superius ultra dimidium exsertae, apicibus liberis, simplicibus, acutis.

Pistillum: germen oblongum, laeve, albo-virescens. Stylus longissimus, filiformis, virescens. Stigma paullo crassius, concolor, antheras excedens, bilamellatum: lamellis oblongis, latere exteriore convexulis, ad foecundationem ineundam posteaque divaricatis.

Semen basi umbilicatum, oblongum, striis decem elevatis costatum, glabrum, utrinque attenuatum, infra obtusum, supra annulo apiculato et intra hunc umbone brevi munitum, fusconigrum, embryonem erectum includens, sibi conformem testaque parum breviorem, cotyledonibus rectis, lanceolatis, radicula infera, acuminata.

Pappus sessilis, persistens, corollam aequans, semine vix longior, multiradiatus, setosus: setis plus quam centenis, aequalibus, aureis, maturante semine rufis, ad lentem denticulatis.

Receptaculum subconvexum, nudum, foveolato-tuberculatum: foveolis polygonatim obvallatis, tubercula recipientibus; post disseminationem saturate fuscum.

EXPLICATIO TABULAE.

Litterae parvae partium magnitudinem naturalem, magnae lente auctam indicant.

Rami extremitas cum flore jam explicato et altero, in quo pappi, nondum vero flosculi prorupti apparent.

a) Flosculus cum pappo et germine.
B) Flosculus pappo et germine destitutus.
C) Seta pappi.
D) Corollula cum antherarum tubulo dissecta et interne visa.
E) Stylus cum stigmate.
F) G) Stigma ante et post foecundationem, clausum nempe et apertum.
h) Semen maturum cum pappo.
i) Semen longitudinaliter dissectum, embryonem monstrans.
k) Embryo denudatus.
l) Cotyledones divaricatae, ut radiculae situs appareat.
m) Receptaculum cum calyce post disseminationem patente.
n) Trunci segmentum transversale.

CONCHOCARPUS.

DIANDRIA, MONOGYNIA. LINN.

ORDO NATURALIS: INCERTUS. JUSS.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

CALYX tubulosus, quinquedentatus. COROLLA submonopetala, irregularis: petalis quinque, basi in tubum coalitis. FILAMENTA septem, quinque sterilia. CAPSULA bivalvis, unilocularis, monòsperma. SEMEN arillatum.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

CALYX inferus, tubulosus, quinquedentatus: dentium intervallis inaequalibus. COROLLA infera, submonopetala, irregularis: petalis 5, basi in tubum coalitis: 3 sursum, 2 deorsum versis, subaequalibus. FILAMENTA 7, basi dilatata, petalorum unguibus innata: 2 brevissima, antherifera; 5 elongata, sterilia, horum 3 alternatim longiora. ANTHERAE duae, oblongae, biloculares, erectae, latere dehiscentes. PISTILLUM: GERMEN pentacoccum, globosum, apice dentibus 5 obsoletis munitum. STYLUS erectus, teres, germine parum longior. STIGMA incrassatum, ovale, calycem non excedens. CAPSULAE, e quinis per germinis cocculos indicatis, binae, rarius ternae, coriaceae, bivalves, conchaeformes, uniloculares, monospermae. SEMEN latere umbilicatum, arillatum: arillo completo, bivalvi, simul cum capsula dehiscente; squama obcordata, libera, umbilicum tegente; embryone perfecto; cotyledonibus plicatis; radicula centrifuga, horizontali.

HABITUS. Fruticulus quinquepedalis et altior, caudice simplicissimo, nudo, apice foliifero, palmulam aemulans. Folia oblonga, magna, coriacea, integerrima, petiolis mediocribus affixa, arcuatim nutantia. Flores brevi-pedicellati, bracteati, racemosi: racemo laxo, longe-pedunculato, plerumque unico. Capsulae mediocres, bivalves.

AFFINITAS. Vegetationis forma foliisque magnis, simplicibus, Theophrastae faciem acquirit haec planta, fructificationis partibus Sciuridi affinis videtur.

ETYMOLOGIA. Vocabula graeca: *κογχος* (concha) et *καρπος* (fructus), formam fructus designantia, generis nomen constituunt.

CONCHOCARPUS MACROPHYLLUS.

Crescit prope Sebastianopolim, prope Tocajam, pagum in via versus Cabo frio jacentem, locis demissis umbrosis, et in sylvis prope Saquarema. Floret Novembri, ad finem Januarii.

CAUDEX simplicissimus, strictus, quinquepedalis vel parum altior, basis diametro 6–9 lineas aequante, nudus, teres, lignosus, cortice fusco, ligno flavescente, duro, medulla ampla, obscuriore; infra laevis, supra cicatrisatus, apice petiolos, pedunculumque saepissime unum, emittens.

FOLIA in apice caudicis aggregata, petiolata, nutantia, oblongo-elliptica, magna (majora: pedem superantia, ultra 4 pollices lata, minima: 8 pollices longa, 2 cum dimidio pollices lata), coriacea, integerrima, obtusa, emarginata; supra glaberrima, profunde viridia, nervo plano; subtus flavescenti-viridia, minus glabra, nervo elevato, venis ad latera excurrentibus, manifestis, parallelis, numerosis, ad marginem folii arcuatim et per anastomoses confluentibus.

PETIOLI subteretes, basi clavati, apice incrassati, fusci, longitudine a 2 ad 5 pollices variantes.

PEDUNCULUS communis teres, laevis, fuscus, folia imo maxima longitudine aequans, arcuatim deflexus, basi incrassatus, ultra dimidium nudus, apicem versus florifer, bracteisque vestitus.

BRACTEAE persistentes, duplicis ordinis. Majores: solitarii, foliis magnitudine valde imminuta similes, elliptico-lanceolatae, coriaceae, integerrimae, mucronatae, virides, nervo subtus elevato;

infimae maximae (quandoque bipollicares, 6 lineas latae), versus apicem pedunculi decrescentes; minores: basi cujusvis pedicelli adjacentes, ob flores forte ante foecundationem caducos in pedicello fructifero accumulatae, lineares, setaceo-attenuatae.

Flores omnes androgyni, completi, brevissime pedicellati, racemo laxo dispositi, bractearum axillis insidentes, bini, terni aut quaterni, rarius solitarii; infimi remotiores, prius explicati.

Pedicelli brevissimi, teretiusculi, recti, fusci, basi bracteolati; fructiferi crassiores, basi bracteolis accumulatis vestiti.

Calyx inferus, tubulosus, quinquedentatus: dentium intervallis arcuato-excisis, inaequalibus; extus fuscus, intus albidus; persistens.

Corolla infera, submonopetala, irregularis, petalis 5 subaequalibus: tribus paullo longioribus sursum, duobus vix latioribus deorsum versis; laminis patentibus, obovatis, integerrimis, carneis; unguibus in tubum leviter curvatum coalitis, albidis.

Stamina: filamenta 7, petalorum unguibus innata, basi dilatata et cohaerentia: 2 brevissima, antherifera, petalis superioribus adjacentia; 5 elongata, filiformia, attenuata, petalis inferioribus affixa, tribus alternatim longioribus. Antherae 2 oblongae, apice angustatae, biloculares, filamentis suis longiores, erectae, latere dehiscentes.

Pistillum: germen pentagono-globosum, pentacoccum, albidum, supra depressum, dentibus 5 obsoletis, cocculorum apices denotantibus munitum. Stylus erectus, teres, germine parum longior, albidus. Stigma incrassatum, ovale, subangulatum, concolor, calycem non excedens.

Capsulae cuique flori succedentes, e numero quinario per cocculos germinis indicato, binae, rarius ternae, (caeterorum incremento suppresso), quandoque unica, coriaceo-crustacea, bivalvis, conchaeformis, lineolis aliquot elevatis, arcuatis, margini valvularum parallelis rugulosa, fusca, introrsum dehiscens, unilocularis, monosperma. Arillus duplex: completus chartaceus, laevissimus, ochraceus, capsulae similis, bivalvis, cum capsula dehiscens: valvulis basi cohaerentibus et, semine ejecto, sursum convolutis; alter: incompletus, squamaeformis, obcordatus, per costam extrorsum elevatam, rugosam, fuscam, versus apicem squamae dilatatam in alas tenerrimas, subdiaphanas dimidiatus, umbilicum tegens, semine maturo deciduus.

Semen latere umbilicatum, valvularum margini interiori affixum, ovato-reniforme, rufo-fuscum, tuberculis numerosissimis confluentibus scabrum; area umbilici magna, laevigata, obscuriore, subrotunda; prominentia super hanc rostriformi, radiculae situm indicante; testa crustacea, membrana interna tenera, albicante, subdiaphana, area chalazina obscuriore, juxta umbilicum collocata. Embryo semini conformis, rostellatus, exalbuminosus, perfectus, albus, dicotyledoneus: cotyledonibus involuto-plicatis, exteriore interiorem amplexante, latere ventrali plano, dorsali convexo; radicula centrifuga, horizontali, teretiuscula, obtusa.

Observ. In seminibus quatuor, a me et Ferd. Bauer examinatis, bis embryo duplex repertus est: major minorem involvens, radiculis ambabus porrectis.

EXPLICATIO TABULAE.

Litterae parvae partium magnitudinem naturalem, magnae lente auctam indicant.

Fruticuli florentis summitas.

A) Flos nondum apertus.
B) Idem emollitus et vi explicatus, stamina fertilia et sterilia monstrans.
C) Pistillum cum calyce dissecto et expanso.
D) Pistillum magis auctum.
e) Pedicellus capsulas gerens, basi bracteolis vestitus.
f) F) Capsula jam dehiscens.
g) G) Arillus post disseminationem convolutus.
h) H) Squama, seminis umbilicum tegens.
i) I) Semen maturum.
K) Idem, testa privatum, membrana interna vestitum.
L) Embryo denudatus, duplex.
M) Horum major alterum involvens, et N) minor, vi expansi.
O) Embryo simplex.

DICHORISANDRA.

HEXANDRIA, Monogynia. Linn.

Ordo naturalis: COMMELINEAE. R. Brown.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Calyx triphyllus. Petala tria. Filamenta brevissima. Antherae contiguae, duabus separatis, divergentibus. Capsula trivalvis, trilocularis, polysperma.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Calyx inferus, triphyllus: foliolis concavis, coloratis; supremo latiore. Petala infera, tria; infimo angustiore. Stamina basi et marginibus petalorum alternatim adnata. Filamenta brevissima, nuda; tria inferiora reliquis parum longiora. Antherae erectae, ovatae; tres superiores et inferiorum media contiguae, inferiorum laterales a reliquis separatae, divergentes. Pistillum: germen trigono-ovatum. Stylus filiformis, rectus. Stigma triangulare. Capsula globoso-trigona, trivalvis, trilocularis, polysperma.

Habitus. Planta tri- aut quadripedalis: caule simplici; foliis elongato-lanceolatis, petiolis vaginantibus; thyrso terminali, floribus profunde cyaneis ornato; plantam liliaceam referens, folia gramineis majoribus similia gerentem.

Affinitas. Ad Campeliam *Richard* (Zannoniam *Plumier*) proxime accedit, filamentis tamen brevissimis, antheris contiguis, et duabus separatis, divergentibus, satis distincta.

Etymologia. Vocabula graeca: δὶς (bis), χωρὶς (separatim) et ἀνὴρ (vir) in verbum conjuncta, characterem genericum exprimunt.

DICHORISANDRA THYRSIFLORA.

Crescit prope Sebastianopolim, ubi etiam in hortos transfertur, et prope Tocajam, pagum quinque circiter milliaribus germanicis ab urbe distantem, locis siccis nemorosis. Floret Decembri, ad finem Februarii.

Caulis e radice perenni plerumque solitarius, teres, tres quatuorve pedes altus, basis diametro pollicem vix non aequante, herbaceus, medulla farctus, articulatus: articulis infimis longioribus, basi vaginis foliorum emarcidorum tectus, sursum foliosus, apice floriger, simplicissimus aut ramum unum alterumve apicem versus emittens, teretem, articulatum: nodulis articulorum infimis remotioribus, basi nudum, sursum foliosum, apice florigerum.

Folia elongato-lanceolata, acuta, integerrima, facie dorsoque glaberrima, longitudinaliter striata, nervo subtus elevato, basi purpurascente; longitudine saepius 10, latitudine 2 pollices aequantia, (quibusdam multo brevioribus, paulo latioribus, et inde ovato-lanceolatis); basi angustata, petiolis vaginantibus affixa.

Vaginae cilindraceae, integrae, caulem ramosque arcte cingentes, ad insertionem folii horizontaliter truncatae, margine integerrimo, nudo, plerumque purpurascente; infimae, tam in caule quam in ramis, longiores, sursum decrescentes.

Flores in thyrsum pyramidalem, caulem vel etiam ramos binos aut ternos terminantem, congesti, completi, pedicellati, bracteis suffulti.

Pedunculus communis angulatus, viridis. Pedicelli teretes, purpurascentes, apice reflexi, plerumque triflori; infimi longiores (8 circiter lineas longi), reliquis sursum decrescentibus.

Bracteae lanceolato-lineares, acuminatae, pedicellorum basi adjacentes, eosque longitudine superantes, virides; infimae maximae, sursum decrescentes.

Calyx: perianthium inferum, deciduum (?), triphyllum: foliolis ovalibus, obtusis, concavis, longitudine aequalibus, extus cyaneis, intus albis, nonnunquam ante floris explicationem rubicundis; supremo latiore.

Corolla infera, tripetala. Petala obtusa, integerrima, perianthio majora, longitudine aequalia, profunde cyanea, basi alba; duobus superioribus subrotundis, infimo angustiore, obovato.

Stamina: filamenta sex, subteretia, brevissima, basi petalorum eorumque marginibus alternatim adnata; infima tria reliquis parum longiora. Antherae erectae, ovatae, obtusiusculae, basi emarginato-bifidae, biloculares, latere interiore sulco longitudinali, exteriore nervulo a basi ad apicem excurrente notatae, flavae, latere dehiscentes; tres superiores inferiorumque media contiguae, inferiorum laterales separatae et, cornuum instar, divergentes.

Pistillum: germen ovali-subtrigonum, glabrum, virescenti-albidum. Stylus rectus, filiformis, obsolete triqueter, germine fere duplo longior, illique basi concolor, apice purpurascens. Stigma trilobum: lobulis orbiculatis, virescens.

Capsula (matura mihi non visa), immatura: trigono-globosa, trivalvis, trilocularis, perianthium superans, polysperma.

Semina plura .... (tunc nondum efformata).

EXPLICATIO TABULAE.

Plantae florentis summitas.

a) Perianthium cum pistillo.

b) Petala cum staminibus.

c) Pistillum, magnitudine aucta.

VELLOSIA. VANDELLI. *)

POLYADELPHIA, IGOSANDRIA. LINN.

ORDO NATURALIS: MELANTHACEAE. R. BROWN ?

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

PERIANTHIUM petaloideum, superum, profunde sexpartitum, coloratum. STAMINA 15–18, basi perianthii inserta: FILAMENTA in sex fasciculos connata. ANTHERAE longissimae, lineares, adnatae. STIGMA trilobum. CAPSULA trigona, trilocularis, polysperma.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

PERIANTHIUM petaloideum, superum, profunde sexpartitum, coloratum. STAMINA 15–18. FILAMENTA basi laciniarum perianthii inserta, filiformia, in sex fasciculos connata: ternis et binis alternatim fasciculum constituentibus; interjectis quandoque simplicibus, numerum augentibus. ANTHERAE longissimae, laterales, lineares, adnatae, biloculares: loculis (filamento in antherae axim continuato) separatis; lateribus dehiscentes. PISTILLUM: GERMEN inferum, ovali-globosum, subtrigonum. STYLUS simplex, perianthio brevior, stamina superans. STIGMA peltatum, trilobum. PERICARPIUM: CAPSULA trigona, trilocularis, rudimento perianthii coronata. SEMINA plurima, pusilla.

HABITUS. Planta suffruticosa, subramosa, pedalis, folia Cyperorum aut Caricum gestans, e quorum centro scapum emittit uniflorum, flore magno Liliaceo terminatum.

AFFINITAS. Ad Amaryllides floribus, ad Juncos foliis accedit; cum Hydrocharidibus nonnullis convenit. Forte Melanthaceis *R. Br.* adnumeranda, si non proprium sistat ordinem.

ETYMOLOGIA. Josepho Velloso (sic ipse scripsit, alii Vellozo) Ord. min. reform. fratri clerico, de investigatione plantarum brasiliensium in solo natali et manuscripto florae Fluminensis *(Sebastianopolitanae)* quod partim *Sebastianopoli* partim *Olisipone* asservatur, meritissimo, genus hocce dicavit ipse de hac flora meritissimus Dominicus Vandelli, M. Dr. Olisiponensis, posthac Director horti bot. reg. et Prof. Chymiae et hist. nat. in universitate Coimbrensi.

OBSERV. Stigma, in specie hic exposita constanter trilobum, Vandelli generi tribuit bilobum. Singularis esset aberratio a nota generica, si vir peritissimus in plantis vivis stigma bilobum invenisset. Sin autem specimina tantum examinavisset sicca, quorum stigmata comprimendo forte deformata, futura specierum disquisitio certe confirmabit, stigma trilobum generi huic, nec in Persooni Synopsi plant. nec in Willdenowi edit. spec. plant. suscepto, esse proprium. In citatis operibus: *Encycl. method.* et *Nouv. dict. d'hist. nat.* Melastomis adnumeratur hoc genus, quod, si non vitio scriptorio, mira certe commutatione accidisse videtur.

VELLOSIA CANDIDA.

VELLOSIA capsula scapique summitate hispidis, flore candido.

Crescit prope Sebastianopolim (Rio de Janeiro) in cacumine saxoso montis Corcovado, et ad viam versus Boavista in collibus saxosis, gregaria. Florentem inveni Septembri, Octobri.

RADICIS fibrosae RHIZOMA supra terram elevatur subramosum, caulem suffruticosum fingens, intus medullare, albidum, cortice membranaceo teneri obductum; extus circumcirca tunicatum foliorum emarcidorum vaginis fuscis, radiculas simul, supra terram elevatas rhizomati arcte apprimentibus, quae in terra primo libere expansae, plantam firmant; supra folia scapumque emittens.

---

*) Florae lusitanicae et brasiliensis specimen, in opusculo: *Scriptores de plant. hispanicis, lusitanicis, brasiliensibus. Recudi curavit I. I. Römer M. Dr.* (*Norimbergae*, 1796.) pag. 112. — Encycl. methodique. Botanique. Suppl. Tom. V. pag. 458. — Nouv. dict. d'hist. nat. Tom. XXXV. pag. 338.

Folia radicalia 6–8, elongato-subulata, cuspidata, carinato-triquetra, membranaceo-subarida, utrinque striata, saturate viridia, apice, quandoque ad basim usque, aculeato-denticulata: denticulis alternis, pellucido-albidis, margines et costam obsidentibus; recurvo-patentia, dodrantalia; exteriora majora, caetera introrsum magnitudine decrescentia; intima plerumque bina, rarius terna, tri-aut biuncialia, imo uncialia, tenerrima, apice denticulis marginalibus approximatis ciliata, pro spatha facile sumenda; vaginis suffulta. Vaginae integrae: ostio obliquo; carinatae, ad ostium extus intusque squamulis paleaceis acutis, intus ligulam imitantibus, in vaginis foliorum intimorum evanescentibus, obsitae.

Scapus centralis, palmaris, triquetrus, ultra medium glaber, summitate glandulis globosis stipitatis scaber, viridis, uniflorus; plerumque solitarius, accedente quandoque uno alterove rameo.

Flos terminalis, erectus, incompletus, magnus.

Perianthium superum, petaloideum, carnoso-membranaceum, deciduum, profunde sexpartitum: laciniis obovato-oblongis, basi attenuatis et cohaerentibus, tenuiter nervosis, campanulato-patentibus, candidis, intus ad basim macula virescente obliterata notatis; quarum tres exteriores paullo crassiores, extus ad basim nervo intermedio subcarinatae et glandulis, de germine ad medium fere laciniarum adscendentibus sursumque decrescentibus, vestitae; tres interiores extus in medio solummodo baseos glanduliferae, lateribus nudis.

Stamina: filamenta 15–18 basi laciniarum perianthii inserta, filiformia, aequalia, albida, in fasciculos sex, binatos et ternatos connata: his ita alternantibus, ut binati laciniis exterioribus, ternati interioribus sint affixi; intermixto saepius filamento simplici, uno alterove fasciculo ima basi adnexo. Antherae longissimae, lineares, adnatae, acutulae, biloculares: loculis (filamento in antherae axim continuato) separatis; lateribus dehiscentes, flavae.

Pistillum: germen inferum, ovali-globosum, angulis rotundato-obsoletis subtrigonum, glandulis globosis, stipitatis, ex scapo assurgentibus, in perianthium transscendentibus undique scabrum, viride. Stylus staminibus longior, perianthio brevior, teres, rectus, glaber, viridis. Stigma peltatum, convexo-umbonatum, trilobum: lobis rotundatis; e viridi flavidum.

Pericarpium: capsula trigona: angulis obtusis; muricato-scabra, trivalvis, trilocularis, rudimento perianthii coronata, suturis dehiscens, polysperma. (Immaturam vel vetustate arefactam vidi.)

Semina numerosa pusilla ..., matura non vidi.

Observ. Duas species Vandelli indicavit in citato specimine, Coimbrae 1788 edito, apud nos rarissimo, et diagnoses illis adjecit brevissimas sine nomine specifico; alteram designat: capsulis glabris, scapis hispidis; alteram: capsulis scapisque glabris. Posset haec appellari: glabra, illa: subscabra. Me novam speciem promulgaturum, in praefatione, fasciculum hujus operis primum, anno 1820 editum, concomitante indicavi, et speciem hanc, quia floris colore vel e longinquo distinguitur, candidam appellavi, cum adhuc aliae species florum colore flavo vel caeruleo optime distinguantur, quas observasse jam in Brasilia clariss. Augustus Saint-Hilaire, et nunc celeberrimus noster, cum ingenti copia rerum naturalium rarissimarum e Brasilia feliciter redux M. Dr. Joann. Eman. Pohl, mihi adfirmaverunt. Quam speciem celeberrimus C. Sprengel, in parte II. operis: *Neue Entdeckungen im ganzen Umfange der Pflanzenkunde,* anno 1821 edita, interim quasi, tertiam vocat, eadem hic est descripta; cujus stigma trilobum esse, idem rei botanicae indefessus promotor jam non dubitat.

EXPLICATIO TABULAE.

Literae parvae, ut in reliquis tabulis, partium magnitudinem naturalem, magnae lente auctam indicant.

Planta florens.

a) Perianthium abscissum et expansum, stamina monstrans.
b) Basis laciniarum duarum perianthii cum staminibus: in exteriore binatis, in interiore ternatis.
C) Filamenti pars superior cum anthera.
d) Pistillum.
E) Stigma.
F) Glandulae stipitatae germinis.
G) Apex folii cum denticulis marginalibus.

ESTERHÁZYA.

DIDYNAMIA, Angiospermia. Linn.

Ordo naturalis: SCROPHULARINAE. Juss.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Calyx campanulatus, quinquedentatus. Corolla subbilabiata: fauce ventricosa, recurva, limbo quinquepartito. antherae basi bifidae, introrsum lanato-barbatae. Stigma clavato-bilamellatum: lamella inferiore superiorem subamplexante. capsula bivalvis, bilocularis: dissepimento contrario, polysperma.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Calyx: perianthium inferum, persistens, campanulatum, subbilabiatum, subangulatum, quinquedentatum: dentibus acutatis, parum patentibus: duobus inferioribus, labium inferius constituentibus, paullo remotioribus et latioribus. Corolla subbilabiata. Tubus rectus. Faux ventricosa, dorso recurvo, ventre gibbo. Limbus quinquefidus: laciniis subrotundis, patentibus; duabus superioribus, labium superius constituentibus, approximatis, intervallo acutangulo; tribus inferioribus remotioribus, intervallis dente munitis. Stamina: filamenta quatuor, filiformia, tubo corollae inserta, basi incrassata, hac et apice villosa; duo paullo breviora, omnia corollam excedentia, apice recurva. Antherae incumbentes, ovales, basi bifidae: lobis obtusis introrsum dente munitis; latere interiore lanato-barbatae, biloculares, introrsum dehiscentes. Pistillum: germen subglobosum. Stylus filiformis, corolla staminibusque longior, apice recurvus. Stigma oblongo-clavatum, bilamellatum: lamellis horizontalibus, apice attenuatis, obtusis; inferiore, margine circum prominulo, superiorem subamplexante. Pericarpium: capsula ovata, rudimento styli obtuse mucronata, bivalvis: valvulis sulco longitudinali notatis; bilocularis. Dissepimentum contrarium. Receptacula convexa. semina numerosa, minima.

Habitus. Frutex gracilis, tri-aut quadripedalis, foliis angustis, glabris, laete viridibus obtectus; ramis virgatis, erectis, flores elegantes, subbilabiatos, in spicas congestos attollens, quibus capsulae subsequuntur, calyce persistente cinctae, ovatae, obtuse mucronatae, bivalves.

Affinitas. Virgulariae *Ruiz et Pavon* proxima est haec planta, sed filamentis basi et apice villosis, corollam excedentibus, et antheris exsertis, ovalibus, basi bifida: utrinque introrsum dente munita; latere interno lanato-barbatis, ab illa satis diversa, cui filamenta sunt corolla dimidio breviora, tantum basi villosa, et antherae inclusae, sagittatae, nudae.

Etymologia. Genus dicatum Celsissimo Sacr. Rom. Imp. Principi Nicolao Esterházy de Galantha, Principi-Comiti Edelstaettensi, Perpetuo Comiti in Fraknó, Aurei Velleris et Insignium Ordinis Reg. Hungarici St. Stephani, Ordinis Reg. Bavarici St. Huberti et Ordinis Reg. Hannoverani Guelphorum Magnae Crucis Equiti, Inclyti Comitatus Semproniensis Supremo ac Perpetuo Comiti, Sacr. Caes. Reg. Apostol. Majestatis Camerario et Intimo Status Consiliario, Generali Rei Tormentariae Praefecto, Nobilis Turmae Praetoriae Hungaricae Capitaneo etc. etc. etc. Botanices fautori splendido, qui plantas omnium terrarum rarissimas in horto arcis suae Kismartonii (germanice: Eisenstadt) colligit, ubi laete vigent et florent, aliis in Germaniae hybernaculis exstantibus longe spectabiliores.

ESTERHÁZYA SPLENDIDA.

Crescit non procul a pago Tocaja, prope littora maris, locis paludosis. Florentem inveni Februario, Martio.

Caulis fruticosus, dense ramosus, 3–4 pedes altus, basi 4–6 lineas crassus. Cortex laevis, fuscus, ligno arcte adhaerens; lignum duriusculum, sordide albidum, medulla evanescente.

Rami et ramuli alterni, virgati, erecti, cortice virente obducti, dense foliosi, summitate florigeri.

Folia opposita (nonnulla alterna), sessilia, erecto-patentia, linearia (quaedam ex infimis lanceolato-linearia), carnosa, glabra, avenia: nervo subtus dignoscendo, integerrima, brevissime mucronata, basi angustata, supra laete viridia, subtus pallidiora, pollicem aut sesquipollicem longa, lineam aut sesquilineam lata (interjectis minorum fasciculis), dense et fere imbricatim ramulis undique ad summitates usque insidentia, ibique, bractearum instar, pedunculorum basi adjacentia.

Flores omnes androgyni, completi, terminales, paniculato-spicati: inferiores alterni, superiores oppositi; ad apicem ramorum magis congesti, pedunculati.

Pedunculi breves (2–5 lineas longi), teretes, apice parum incrassati et subangulati, virides.

Calyx: perianthium inferum, campanulatum, subbilabiatum, quinquedentatum: dentibus inaequalibus, rotundatis cum brevi acumine, villoso-ciliatis, rectis et parum patentibus: tribus superioribus aliquantum approximatis: intermedio minori; duobus infimis paullo remotioribus et majoribus; lineis elevatis 5 a basi ad apicem dentium productis subangulatum, persistens.

Corolla subbilabiata, fulva, extus hirta; tubus brevissimus, rectus et ad faucem lanuginosus; faux ventricosa, sursum ampliata: dorso leviter recurvo, ventre gibbo; limbus quinquefidus: laciniis patentibus, subrotundis, integerrimis, piloso-fimbriatis, subaequalibus: duabus superioribus erectis, vix majoribus, approximatis, intervallo acutangulo; tribus inferioribus parum remotis, intervallis dente minuto, quandoque obsoleto, munitis.

Stamina: filamenta quatuor, filiformia, tubo corollae inserta, basi incrassata, hac et apice villosa, duo parum breviora, omnia corollam excedentia, albida, apice recurva. antherae incumbentes, exsertae, ovales, basi bifidae: lobis obtusis introrsum dente munitis; biloculares, introrsum dehiscentes; latere exteriore hirtae, fuscae; interiore: ante dehiscentiam medio nudae, flavidae et nonnisi ad loculamentorum suturas lanato-barbatae, post dehiscentiam (marginibus loculamentorum reflexis) undique pilis longis, flexuosis, albidis lanato-barbatae.

Pistillum: germen subglobosum, glabrum, virens. stylus filiformis, apice recurvus, corollam excedens et cum stigmate imo stamina longitudine superans; basi apiceque viridi-pallens, medio coccineus. stigma oblongo-clavatum, bilamellatum: lamellis horizontalibus, convexulis, apice attenuato-obtusis; inferiore superiorem, apice margineque circum prominulis, subamplexante.

Pericarpium: capsula ovata, rudimento styli obtuse mucronata, crustacea, laevis, bilocularis, bivalvis: valvulis sulco longitudinali notatis; apice dehiscens: valvulis quandoque rumpendo bifidis; polysperma. Dissepimentum contrarium, valvare. Receptacula convexa, rugosa, dissepimento utrinque adnata. Loculamenta seminibus plurimis repleta.

Semina minima ... matura non vidi; immatura et siccata (lente visa) angulata et punctato-rugosa.

EXPLICATIO TABULAE.

Ramus plantae florentis.
a) A) Perianthium floris aperti.
b) Corolla dissecta cum staminibus.
C) Anthera, latere interiore visa, ante dehiscentiam.
D) Eadem, eodem latere, post dehiscentiam.
E) Eadem, latere exteriore, insertionem filamenti monstrans.
f) Pistillum.
G) Germen.
H) Idem transverse dissectum.
I) Summitas styli cum stigmate.
k) K) Capsula.
L) Eadem, dehiscentiam monstrans.

OXALIS. Linné.

DECANDRIA, Pentagynia. Linn.

Ordo naturalis: CARYOPHYLLEAE Juss.?

GENERIS CHARACTER. Nic. Jos. Jacquin. *)

Calyx: perianthium quinquepartitum, breve, persistens. Corolla: petala quinque, saepe inferne cohaerentia, unguibus erectis, laminis patentibus. Stamina: filamenta decem, subulata, erecta, basi in unum corpus plerumque connata; quorum quinque longiora. Antherae sulcatae. Pistillum: Germen superum, quinquangulare. Styli quinque, filiformes. Stigmata obtusa. Pericarpium: capsula pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, angulis longitudinaliter dehiscens. Semina subrotunda, compressula, ex arillo proprio bivalvi elastice exsilientia.

Observ. An non Caryophylleis potius quam Geraniis adnumerandum hoc genus? Ordinem illius naturalem, de quo ipse Jussieu dubius haeret, nec definitum pronunciat in citata Monographia maxime venerandus, inter Botanicos sui aevi longe praecellens Nic. Jos. L. B. de Jacquin. De herbaceis tantum Oxalidibus locutum fuisse virum perillustrem, et de fruticosis nullam habuisse notitiam, illius verba demonstrant: „An datur Oxalis vere fruticosa? Huc usque negari potest." **) Quas dari, nunc mihi contigit affirmare.

OXALIDES FRUTICOSAS

nempe hic designo, phyllodiis praeditas; quae Acaciarum Novae Hollandiae modo, juvenili tantum aetate, rarius adultae, foliola in phyllodiorum apice gerunt. Facile nunc divisio primaria generis instituenda in herbaceas et fruticosas, quae porro in subdivisiones ab illustrissimo Jacquinio patre stabilitas discedunt.

OXALIS RUSCIFORMIS.

Oxalis caule lignoso, phyllodiis lanceolatis, foliolis ternis; pedunculis brevissimis, subunifloris; filamentis denticulatis, stylis (in explicato flore) brevissimis.

Crescit fruticulus elegans, habitu Oxalidem minime referens, prope Sebastianopolim, ad Pontanegra et prope Saquarema (in via versus Cabo frio) in collibus nemorosis. Florentem inveni Decembri, Januario.

Radix lignosa, simplex, radiculis in omnem partem directis, ramosis.

Caulis plerumque pedalis, basi subflexuosus et duas tresve lineas crassus, lignosus: ligno albo, duro, cortice tenui, laevigato, brunneo, lignum arcte obducente, medulla non distinguenda; ramosus.

Rami infra medium caulis enati, simplices, virgati, eodem ut caulis cortice tenui obducti, summitate virentes et subhirti, phyllodiis obsiti, intra haec florigeri.

Phyllodia alterna, erecto-patentia, lanceolata, basi angustata, aequilatera, integerrima, firma, glabra, tenerrime nervosa, nervos inter subtilissime lineata: lineis (quod munito dignoscitur oculo) anastomosantibus; saturate viridia, apice (in juniori planta, rarius in adulta) foliola tria gerentia, prominentiis tribus, quibus foliola insiderunt, post defoliationem remanentibus: intermedia longiore, quandoque rudimento petioli terminata.

---

*) Oxalis. Monographia, iconibus illustrata. pag. 8.
**) Eadem Monogr. pag. 23. in Observ.

Foliola brevi-petiolata, elliptica, nervo teneri aequaliter dimidiata, integerrima, obtusa, mollia (in planta siccata ob teneritatem evanescentia), phyllodiis concolora.

Flores per ramos sparsi: vel phyllodiis oppositi, vel intraphyllodiacei, mediocres.

Pedunculi brevissimi, teretes, hirsutuli, saepius uniflori, nonnunquam biflori aut triflori, bracteolis binis, oppositis, subulatis, minutissimis, hirsutulis instructi.

Calyx: perianthium inferum, breve, pentaphyllum: foliolis basi connatis, lanceolatis, acuminatis, erectis, intus glabris, dorso et ad oras piloso-hirtis, viridibus, apice rubellis; persistens.

Corolla calyce duplo longior, subcampanulata, pentapetala. Ungues erecti, coaliti, basi liberi et acuti, pallide virentes. Laminae obovatae, rotundato-acutulae, patentes, flavae, intus ad basim maculis binis obovato-oblongis aurantiacis, harumque intervallo albido, notatae.

Stamina: filamenta decem, subulato-filiformia, erecta, basi subcoalita et glabra, caeterum pilis simplicibus villosa: interiora elongata, aequalia, denticulo glabro munita; exteriora in flore adhuc clauso brevissima, in explicato stylos superantia. Antherae incumbentes, ovales, didymae, sulcatae, vitellinae.

Pistillum: germen ovatum, quinquesulcatum, glabrum. Styli quinque, subulato-filiformes, extrorsum arcuati, villosuli, pallide virides. Stigmata globosa, nuda, saturate viridia.

Capsulam et semina (hujus speciei) non vidi. (Oxalis, infra designata, daphnaeformis capsulam habet subglobosam, acutam, saepius stylis persistentibus coronatam, alato-pentagonam, quinquelocularem: loculamentis monospermis; seminaque oblique ovata, acuta, compressula, foveolis impressis transverse rugosa, fusca, arillo pellucido-albido bivalvi inclusa.)

Observ. Duas adhuc divisionis hujus species inveni, quas sequentibus distinguo nominibus et diagnosibus:

Oxalis daphnaeformis: caule lignoso, nudo, crassiusculo, subramoso: ramis brevibus; phyllodiis ad apicem cumulatis; pedunculis elongatis, bifidis, racemosis; filamentis denticulatis; stylis intermediis, erectis.

Oxalis saliciformis: caule ramosissimo: ramis virgatis; phyllodiis sparsis; pedunculis elongatis, bifidis, racemosis; filamentis edentulis; stylis brevissimis, extrorsum arcuatis.

EXPLICATIO TABULAE.

Fruticulus florens.
A) Apex phyllodii.
B) Genitalia floris nondum explicati cum calycis foliolis tribus.
C) Corolla.
D) Pistillum.

METTERNICHIA.

PENTANDRIA, Monogynia. Linn.

Ordo naturalis: CONVOLVULACEAE. R. Brown.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Calyx campanulatus, quinquefidus, persistens. Corolla infundibuliformis, plicata. Stamina fauci inserta, inaequilonga. Stigma peltatum, bilobo-reflexum. Capsula cylindrica, sensim attenuata, obtusula, bivalvis, unilocularis. Semina sublinearia, erecta, longitudine capsulam subaequantia, albuminosa. Embryo erectus.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Calyx brevis, campanulatus, quinquefidus: laciniis obtusis, inaequalibus; persistens. Corolla infundibuliformis: tubo brevissimo; limbo leviter quinquefido, quinqueplicato. Filamenta fauci inserta, corolla breviora, filiformia, longitudine inaequalia. Antherae cordato-rotundatae cum brevi acumine, lateribus dehiscentes. Pistillum staminibus paullo brevius. Ovarium ovato-elongatum. Stylus filiformis. Stigma peltatum, bilobum: lobis aequalibus, reflexis. Capsula cylindrica, recta, sensim attenuata, obtusula, unilocularis, bivalvis: valvulis bifidis apice dehiscens. Semina basi receptaculi septiformis liberi utrinque affixa, sublinearia, erecta, longitudine capsulam subaequantia, basi umbilicata, albuminosa. Albumen tenue. Embryo erectus, centralis, cotyledonibus lineari-elongatis; radicula longa.

Habitus. Arbor 3-aut 4 orgyalis, dense ramosa, coma ampla. Folia alterna, brevipetiolata, patentia, membranacea, ovalia, integerrima, glabra. Flores terminales, subfasciculati, magni, infundibuliformes. Capsula cylindrica, calyce brevi persistente cincta.

Affinitas. Ad Solandram vel Brugmansiam accedit, florum praesertim forma; sed fructu ab his et affinibus generibus recedit quam distinctissima.

Etymologia. Genus dicatum celsissimo Principi Clem. Wenc. Lothar. Metternich-Winneburg, Principi in Ochsenhausen, S. C. R. Ap. Maj. supremo aulae et status Cancellario, aurei Velleris Equiti etc. etc. etc. Artium ac Scientiarum Amico et Cultori, qui Botanices Fautor eximius, augustissimi Imperatoris nostri magnanimitatem ad mittendos in Brasiliam Naturae Scrutatores excitavit, hujusque Missionis summus Director, insignia Rei Herbariae conciliavit incrementa.

METTERNICHIA PRINCIPIS.

Florentem vidi mense Januario spectabilem hanc arborem prope Sebastianopolim ad aquaeductum, ubi Dnus. Henricus Schott (filius) Missioni, ut plantas vivas coleret, adjunctus, primus illam conspexerat. Idem insequenti anno plura ejusdem speciei deprehendit specimina in agro Copa cabana, urbi vicino; fructusque, ipse redux, attulit.

Truncus, una cum ramis saepius ad 25 pedum altitudinem ascendens, diametro pedem cum dimidio aequans aut superans, a medio vel subinde paullo supra basin in ramos divisus. Lignum (mihi non visum) asserente Schott, album, durum.

Rami alterni, patentes, in comam amplam expansi, frondium apicibus subnutantibus.

Folia alterna, brevipetiolata, patentia, membranacea, lanceolato-ovalia, plana, integerrima, basi acuta, apice in acumen obtusulum angustata, utrinque glabra, nervo subtus elevato, venulis tenerrimis brachiatim ad oras excurrentibus; supra saturate viridia, subtus pallidiora; longitudine plerumque pollices duos cum dimidio, rarius tres, superantia, pollicem vel ultra lata, intermixtis minoribus.

Petioli teretes, basi parumper incrassati, breves (3–4 lineas longi), foliorum paginae inferiori concolores.

Flores brevipedunculati, magni (longitudine tres, limbi diametro duos fere pollices aequantes), terminales: et e summorum foliorum axillis provenientes, et in ipso apice fasciculatim congesti; inodori.

Pedunculi breves (longitudine petiolorum), teretes, apice paullo crassiores, nudi vel hinc inde bracteolis subulatis muniti, hisque caducis nodulosi: axillares simplices, terminales ramosi; virides.

Calyx: perianthium monophyllum, campanulatum, vix non ad medium quinquefidum: laciniis obtusis, inaequalibus; breve (5–6 lineas longum), persistens, pedunculo concolor.

Corolla monopetala, infundibuliformis, candida: tubus calycem non excedens; limbus e fauce nuda ascendens, campanulato-ampliatus, quinqueplicatus, leviter quinquefidus: laciniis recurvo-patentibus, irregulariter crenulatis, aequalibus.

Stamina: filamenta 5 filiformia, fauci inserta, corolla paullo breviora, rectiuscula, apicibus distantia, longitudine inaequalia, albida. Antherae erectae, cordato-rotundatae, acumine brevi munitae, biloculares, lateribus dehiscentes, flavae; post dehiscentiam quadrangulares.

Pistillum: ovarium ovato-elongatum, villosulum, virens, septo spurio subbiloculare, ovulis 3–5 ad utrumque septi latus. Stylus filiformis, filamentis brevior, albidus. Stigma peltatum, bilobum: lobis aequalibus, reflexis; albidum.

Pericarpium: capsula cylindrica, recta, utraque extremitate sensim attenuata, obtusula, striis per longitudinem parallelis, hinc inde interruptis vel anastomozantibus, tenerrime costata, ex olivaceo fusca; intus glabra, straminea; unilocularis, bivalvis: valvulis bifidis apice dehiscens; longitudine unciam cum dimidia plerumque superans, 4–5 lineas lata. Receptaculum septiforme, valvulis parallelum iisque paullo brevius, membranaceum, liberum, binervium, apice bifidum, ima basi utrinque ad recipienda semina scrobiculato-exaratum, stramineum.

Semina 6–10, longitudine capsulam subaequantia, erecta, sublinearia, extremitatibus attenuata, compressula, dorso convexo laevi, ventre per longitudinem bicarinato, lateribus membranaceo-ancipitibus, apice subtriquetro, basi parumper incurvata et basi receptaculi ad utrumque latus affixa: interiora, ob insertionem paullo altiorem, exterioribus paullo breviora; quandoque pressione vicinorum irregulariter angulata, albuminosa. Umbilicus basilaris, exiguus. Testa coriacea, straminea, ad lentem apiculis minutissimis, micantibus, adpressis, obsita; membrana interna tenerrima, albida, mediante parenchymate farinoso cum testa concreta, nucleum arcte cingens. Albumen tenue, instar vaginae membranaceae embryonem includens. Embryo centralis, erectus, semine fere dimidio brevior, albidus. Cotyledones rectae, lineari-elongatae, contiguae, extus convexulae. Radicula cotyledones longitudine subaequans, cylindrica, recta, acutula, infera.

EXPLICATIO TABULAE.

Literae parvae magnitudinem naturalem, magnae lente auctam indicant.

Arboris florentis ramulus.

a) Calyx.
b) Corolla per longitudinem dissecta, ut staminum insertio appareat.
C) D) Antherae ab utroque latere, altera dehiscens.
e) Pistillum.
F) Stigma.
G) Ejusdem dissecti lobus interne visus.
H) Ovarium.
I) Idem transverse dissectum, cum loculamentis et ovulis.
k) Capsula calyce cincta.
l) Eadem, absque calyce, dehiscentiam seminumque apices monstrans.
m) Valvula a latere interiore, cum receptaculo.
n) Semen a latere ventrali.
o) Idem a latere dorsali.
P) Seminis sectio transversalis.
q) Albumen embryonem includens.
r) s) Embryo solutus: cotyledonibus contiguis et divaricatis.

ECHITES. R. Brown.

PENTANDRIA, monogynia. Linn.

Ordo naturalis: APOCYNEAE. Juss. R. Brown.

GENERIS CHARACTER REFORMATUS.

Perianthium inferum, quinquepartitum, laciniis acutiusculis; interna basi dentibus auctum, persistens. Corolla hypocrateriformis, contorta. Tubus calyce longior, cylindricus et ubi antheras includit ampliatus, aut subcampanulatus, intus ad faucem villosus. Faux nuda. Laciniae limbi quinquepartiti obliquae. Stamina inclusa. Filamenta 5 filiformia, tubo innata, apice libera et villosa. Antherae erectae, sagittatae, in conum conniventes, stigmati incluso adglutinatae, lobis posticis polline vacuis. Glandulae hypogynae plerumque quinque, rarius duae oppositae. Ovaria duo. Stylus unicus, filiformis. Stigma oblongo-capitatum, apice bifido. Folliculi graciles. Semina numerosa, deorsum imbricata, oblonga, ad extremitatem umbilicalem comosa. Embryo inversus, planus. Receptaculum longitudine folliculi, membranaceum, liberum.

Observ. Optime monuit beatus Jacquin *(Stirp. americ. hist. p. 29.)* corollam inconstantem minus facere ad characterem generis, et sagacissimus R. Brown *(Mem. Wern. Soc. I. p. 59.)* non nisi corollam hypocrateriformem generi adscribit, quamvis et illius Echitides corollae forma sint variantes, tubo nempe aut cylindrico, aut subcampanulato. Squamae hypogynae (jam a Jacquinio rectius glandulae dictae et ut essentiales introductae) non omnibus insunt quinque; species enim hic proposita non nisi duabus gaudet. Seminis comam non minus essentialem, sed pluribus generibus propriam R. Brown divisioni familiae tribuit. Nec villus in apice ampliato tubi (ab auctoribus Florae Peruvianae nomine faucis insigniti) nec receptaculum a Jacquinio animadversum, mihi videntur negligenda. Hinc ego characterem generis paucis denuo mutare ausus sum.

ECHITES TENUIFOLIA.

Echites caulibus pluribus ex radice tuberosa assurgentibus, debilibus; foliis sessilibus, linearibus; floribus terminalibus, subternis.

Crescit planta haec elegans, perennis et lactescens, inter Tocaja et littus maris; a Dno. Schott filio et a me ipso locis humidis et sabulosis detecta. Floruit Februario, Martio. Altera vice Septembri et Octobri florentem ille invenit ad Cabo frio. Tubera plura ibi terrae immisit, quorum unicum Viennae viget et mense Aprili h. a. denuo caules emisit.

Radix perennis, tuberosa: tubere solitario, napiformi, mediocri, subverticali; caudice intermedio, brevi, subcylindrico suffulta, extus fuscescens; radiculis filiformibus, sparsis.

Caules ex una radice plures, herbacei, assurgentes, debiles, teretes, pilis minutissimis vestiti, ad exortum foliorum nodulosi, denticulis binis interfoliaceis vix conspicuis; plus minus sesquipedales, basi fuscescentes, superius rubicundi, ramosi; ramis paucis, teretibus, glabris.

Folia opposita, sessilia, patentia, linearia, acuminata, basi vix non ad nervum usque angustata, integerrima et paullulum revoluta, laevia, nervo subtus elevato, supra sulco intermedio tenuissimo per longitudinem impresso; infima uncias duas longitudine aequantia vel etiam superantia, paullo ultra lineam lata, superiora gradatim breviora et angustiora; supra saturate viridia, subtus pallidiora: nervo infimorum viridi, superiorum purpurascente.

Flores ramos vel caulem terminantes, plerumque terni, rarius solitarii, mediocres, pedunculati.

Pedunculi breves (3–5 lineas longitudine aequantes) teretes, apici ramorum vel caulis alternatim insidentes, basi bracteolis binis, minutis, acutis, subinde unica, suffulti.

Calyx: perianthium inferum, persistens, quinquepartitum: laciniae subulatae, acutae, laeves, intus basi dentibus binis aut ternis, minutis, obtusiusculis, apice subinde bifidis aut trifidis, munitae; longitudine et latitudine subinaequales, erectae, apice patentes, purpurascentes.

Corolla hypocrateriformis, tenera. Tubus calyce multo longior, cylindricus, angustus, apice ampliatus intusque villosus: villis brevibus, albidis, per quinque series verticales dispositis; extus roseo-purpureus, intus albidus. Faux angustata, demum in circulum e flavo viridem leviter elevata, nuda. Limbi plani, patentissimi, sat ampli, rosei, quinquepartiti laciniae inter se aequales, oblique deltoideae, lateribus inaequalibus; angulorum exteriorum altero rotundato, altero acuminato; margine longiore subtus saturatius colorato.

Nectarium. Glandulae, ovariis adstantes iisque subaltiores, binae, oppositae; introrsum carina intermedia, spatium inter ovaria explente, munitae; extrorsum laeves, convexulae; virentes.

Stamina 5 aequalia: filamenta filiformia, albida, per longitudinem tubo innata, apice libera et villosa. Antherae erectae, sagittatae, apice acuto, biloculares; introrsum carinis intermediis binis, extrorsum unica notatae, lobis posticis polline vacuis; in conum conniventes, tubi apice ampliato receptae, stigma includentes illique adglutinatae, flavae.

Pistillum: ovaria duo, ovata, acutula, glabra, virentia, contigua. Stylus unicus, filiformis, rectus, albidus, longitudine filamentorum. Stigma capitato-conicum, basi quinquelobum: lobis convexulis, acuminatis; apice bifidum: laciniis contiguis; virescens.

Pericarpium: folliculi duo, cylindrici, graciles, recti, subtorulosi, apice subulato, obtuso; laeves, basi connexi, angulo acuto divaricati, interdum longitudine inter se inaequales, univalves, uniloculares, introrsum per longitudinem dehiscentes: valvula extus fusca; intus alba, argenteo nitens. Receptaculum longitudine valvulae, liberum, membranaceum, lineare, apice attenuatum, obtusum; pagina interiore planum, exteriore carinatum, hinc subtriquetrum; albidum.

Semina numerosa, receptaculi paginae interiori affixa, deorsum imbricata, oblongo-ovata, compressa, latere externo convexula et costata, interno plana et sulco intermedio ab umbilico descendente notata, margine membranaceo cincta, extremitate umbilicali truncata et comosa: comae pilis simplicibus, semine longioribus, radiatim divergentibus, rufis; albuminosa. Testa tenuis, fusca. Albumen semini conforme, tenue. Embryo longitudine albuminis, inversus, planus. Cotyledones rectae, contiguae, oblongae. Radicula mediocris, supera.

Observ. Alteram in Brasilia detexi speciem, glandulis hypogynis duabus praeditam, quam sequenti distinguo denominatione et diagnosi.

Echites rotundifolia: caule volubili; foliis obovato-rotundis, mucronatis, glabris; pedunculis longioribus, axillaribus, paucifloris; calycis laciniis subulatis, acutissimis; corollae tubo subcampanulato; glandulis hypogynis duabus.

Tertiam simul hic propono speciem brasiliensem novam, notis sequentibus distinctam.

Echites peltata: caule volubili; foliis ovatis, acuminatis, peltatis, brevipetiolatis, hirsutulis; pedunculis brevioribus, axillaribus, paucifloris, subdichotomis; calycis laciniis inaequalibus, sublanceolatis, obtusiusculis; corollae tubo subcampanulato; glandulis hypogynis quinque.

EXPLICATIO TABULAE.

Planta florens, cum ramo folliculorum valvulas evacuatas gerente. a) Flos inapertus. B) Perianthium. C) Ejusdem laciniae reflexae, cum dentibus ad earum basin. d) Corolla verticaliter dissecta. E) Tubus longitudinaliter apertus, cum antheris solutis, pistillo et glandulis hypogynis. F) Glandula hypogyna, a latere interiore. G) Tubi pars superior, cum antheris stigma includentibus et styli parte superiore. H) Anthera latere interiore spectata, cum filamenti apice villoso. I) K) Stigma, cum apicis laciniis contiguis et divaricatis. l) Folliculi juncti, cum perianthio. M) Folliculus longitudinaliter apertus, cum receptaculo et seminibus. N) Receptaculi pars superior a latere exteriore, cum seminibus. O) Ejusdem latus interius, seminum situm monstrans. P) Semen folliculo exemtum, a latere convexo. Q) Idem a latere plano, coma privatum. r) Semen maturum. S) T) Embryo, cotyledonibus contiguis et divaricatis.

GRIFFINIA. KER.

HEXANDRIA, MONOGYNIA. LINN.

ORDO NATURALIS: AMARYLLIDEAE. R. BROWN.

CHARACTER GENERIS. *)

SPATHA bivalvis, umbella polyantha brevior. COROLLA infundibuliformis, nutans; TUBUS brevis; LIMBUS 6-partitus, inaequalis, bilabiato-campanulatus. FILAMENTA summo tubo inserta, alterne longiora, unum assurgens, caetera declinata; ANTHERAE incumbentes. GERMEN triloculare; OVULIS 2 parallelo-erectis, imo cujusque loculamenti angulo annexis. STYLUS tristriato-filiformis; STIGMA simplex. CAPSULA pedunculata, membranacea; SEMINA subsolitaria, obovata, nitida, apice chalaza fusca insignita.

Differt Amaryllide stamine uno caeterorum directione deflectente; ovulis parallelo-gemellis, erectis, fundo loculamentorum insitis; foliis petiolatis, cum nervis pluribus longitudinalibus costato-prominentibus.

OBSERV. Generis hujus, in honorem eximii Botanices Fautoris Angli, Dom. Griffin, denominati character, jam in eodem operis citati volumine, folio 444. expositus, altera specie, Griffinia nempe parviflora detecta (quae l. c. tab. 511 repraesentatur) in praesentem a fundatore fuit mutatus. Semina autem, a clariss. R. Brown examinata et exacte descripta, erant Gr. parviflorae, receduntque structura (quod descriptio, et simul figura in Vol. VI. appendice absque analysi adjecta, demonstrat) a seminibus Gr. hyacinthinae. His enim chalaza ventralis, non apicalis, formaque irregularis. An haec differentia una cum corollae forma partim discrepante ad aliud ex Griffinia parviflora constituendum genus sufficerent, judicio Botanicorum me longe peritiorum relinquo.

GRIFFINIA HYACINTHINA. KER.

GRIFFINIA umbella brevipedunculata; limbi laciniis tribus superioribus latioribus, approximatis, inferioribus longioribus, divaricatis; capsula incurvato-gibbosa.

SYNON. Amaryllis hyacinthina. *Ker Botan. register Vol. II. fol. et tab.* 163.

Unicum plantae designatae specimen prope Tocaja in umbrosis subhumidis inveni et Viennam transtuli, ubi tribus jam annis floruit, et primo scapum solitarium pauciflorum, altero autem duos multifloros produxit. Me jam e Brasilia reduce Dno. Schott filio prope Magé, oppidum ad fluvium ejusdem nominis situm, numerosa nec non majora Amaryllideae hujus perelegantis ocurrerunt specimina, quorum ultra decem, una cum aliis rariorum Brasiliae plantarum speciminibus vivis, per hortulanum Dnum. Schücht anno elapso (1822) Viennam sunt advecta, ubi foliis jam in patria emissis laete vigent, floresque, licet in itinere floruerint, denuo spondent.

BULBUS tunicatus, ovatus, radiculas basi emittens teretes, crassitie fere pennae anserinae.

FOLIA 2-3 (in majoribus 7-8) inflorescentiam praecedentia, perennia, bifaria, plana, arcuatim recurvata, coriaceo-crassa, ovato-oblonga, cum acumine obtuso; glaberrima, nervoso-striata, venulis transversis, parallelis, binis plerumque approximatis, reticulata; ex flavo viridia (vetustiora saturatius colorata), subtus glaucescentia, costa convexa carinata; laminae basi decurrente et evanescente in petiolum attenuata; hoc computato uncias 10-13 longa, 3 et ultra lata, (maxima 28 uncias longa, 6 et dimidiam lata). PETIOLI crassi, supra plani, subtus convexi, lamina triplo aut duplo breviores, purpurascentes, basi vaginantes: vagina in adultioribus rupta.

SCAPUS folia aut aequans aut paullo superans, ultra medium cylindricus, apice subanceps, estriatus, basi purpurascens, inclinatus aut suberectus.

---

*) Botanical register etc. Vol. VI. (London 1820.) Fol. 511.

Spatha bivalvis, lanceolata, obtusa, reflexo-patens, floribus multo brevior, apice canaliculata, viridis, basi purpurascens; post anthesin scariosa. Umbella 10-12 flora, bracteata: bractea cuilibet pedunculo adjacente, lanceolata, acuta, viridi; intimis gradatim minimis.

Flores erecto-nutantes, 3 uncias plerumque longi, albo et violaceo variegati, extus purpurascentes, inodori, brevipedunculati. Pedunculi longitudine circiter tubi corollini, cylindrici, glabri, virides, radiatim divergentes.

Perianthium petaloideum, superum, deciduum, infundibuliformi-bilabiatum, sexpartitum. Tubus multo brevior limbo, antrorsum subcurvatus, cylindricus, dorso planiusculo cum nervo parum elevato, caerulescenti-roseus. Faux brevissima, nuda, subtus paullulum gibbosa. Limbi patentis laciniae lineari-lanceolatae, partim undulatae, apice revolutae; exteriorum summa cum interiorum duabus, labium superius constituentes, approximatae, violaceae, macula magna, a basi ultra medium elongata, acuta, alba: illa angustior, hae omnibus latiores, margine interiore subcontiguae, supremam excludentes; exteriorum infimae cum interiorum infima, labium inferius formantes, radiatim divaricatae, illis angustiores et paullo longiores, albae: laterales margine exteriore apicem versus violaceo, infima omnium angustissima, apice violacea.

Stamina 6, omnino libera. Filamenta fauci inserta, filiformia, tertia fere parte limbo breviora, alterne longiora, ultra medium rectiuscula, apice assurgentia, albicantia: 5 inferiora declinata, summum erecto-distans et limbi laciniae summae accumbens. Antherae incumbentes, breves, subquadrangulo-oblongae, basi apiceque obtusae, emarginatae, purpurascentes, connectivo elliptico, violaceo, facie dehiscentes; post foecundationem marginibus loculorum reflexis subovatae, facie polline flavo obductae, connectivo saturatius colorato.

Pistillum: ovarium carnoso-incrassatum, subovale, indistincte trigonum, medio leviter coarctatum, corollae tubo concolor, triloculare; loculamenta disperma: ovulis oblongis, parallelo-erectis, fundo infixis. Stylus forma directione et colore filamentorum, iisque vix crassior et parum longior. Stigma indivisum, parvum, oculo armato subtrigono-hemisphaericum.

Pericarpium: capsula flore longius pedunculata, membranacea, incurvata, irregulariter obovata, basi deorsum dorso sursum gibbosa: apice arcuatim ad ventris medium protenso, ibique prominentia truncata, fusca, chalazae seminis inclusi correspondente, terminato; viridis, valvulis intus albidis, suturis indistinctis; trilocularis, non dehiscens.

Semen plerumque unicum (loculamentis binis oppressis et ovulis reliquis abortivis), capsulam replens, carnosum, irregulariter obovatum, dorso et vertice ventricosum, pallide ochroleucum, nitens; basi oblique angustatum, album. Umbilicus basilaris, concavus. Chalaza ventralis, fusca. Integumentum duplex: exterius supra membranaceum, tenue, subdiaphanum, ad lentem areolis micantibus ornatum, infra in partem carnosam, quae raphem tenuem includit et seminis basin format, incrassatum; interius: membrana tenuissima, diaphana, basi chalazae inserta, caeterum libera. Embryo nucleum constituens subglobosum, dense carnosum, ochroleucum (qui dissectus nullam monstravit cavitatem aut corpusculum inclusum) cum perispermio et cotyledone exacte concretus videtur, sola extremitate radiculari manifesta, in regione chalazae exserta. Germinationem, quae embryonis fabricam melius edoceret, observare non licuit, cum semina bina, terrae tradita, putrefacta non germinassent.

EXPLICATIO TABULAE.

Planta scapis floriferis binis et simul foliis praedita. a) Flos inapertus. b) Staminum in flore inaperto situs et proportio. C) D) Antherae polline repletae, utroque latere visae. e) Floris explicati sectio longitudinalis. F) G) Antherae post foecundationem, ab utroque latere. H) Styli apex cum stigmate. I) Ovarii sectio transversalis. K) Ejusdem sectio verticalis. l) Capsula matura, ventre visa. m) Eadem divulsa, cum semine maturo et reliquis abortivis. n) Eadem a latere. o) Semen maturum, a latere. p) Ejusdem sectio verticalis. q) Seminis verticaliter dissecti integumenta, cum exterioris basi carnosa. r) s) Embryo solutus, latere et ventre visus.

HELICTERES. Linné.

MONADELPHIA, Dodecandria (Decandria). Linn.
Ordo naturalis: BÜTTNERIACEAE. R.Br. BOMBACEAE. Kunth. DeCand.

GENERIS CHARACTER.

Calyx: Perianthium simplex, ovato-tubulosum aut subcampanulatum, coriaceum, limbo quinquefido: lobis inaequalibus, saepius bilabiato-coadunatis, oblique patentibus. Corolla pentapetala. Petala ligulato-unguiculata: unguibus longissimis, prope laminam utrinque appendiculatis, appendiculo unius lateris nonnunquam deficiente; perianthii fundo affixa. Stamina saepissime decem, rarius plura aut pauciora. Filamenta in tubum, carpophorum includentem, eique arctissime junctum, connata; apice libera, recta, umbellatim divergentia; monanthera. Antherae transversae, lineari-reniformes, connectivo tumido; uniloculares. Parandria 5, squamaeformia, ovarium cingentia. Ovarium carpophoro filiformi, longissimo insidens, 5-sulcatum, hirsutum, 5-loculare: ovulis introrsum affixis, biserialibus. Styli 5, filiformes, in unum concreti. Stigmata simplicia. Fructus e carpellis 5 constans, longissime stipitatus. Carpella contigua, in spiram contorta, rarius recta; lignosa, unilocularia, introrsum dehiscentia, polysperma. Semina numerosa, angulata, suturae dehiscenti alternatim affixa. Embryo orthotropus. Endospermium nullum. Cotyledones foliaceae, in spiram convolutae. Radicula brevis, centripeta.

HELICTERES brasiliensis.

Helicteres decandra; foliis ovatis, subcordatis, acuminatis, duplicato-serratis: supra saturate viridibus, pubescentibus; subtus pallidioribus, villoso-hirsutis, nervis tomentosis; floribus terminalibus, fasciculatis; fructu cylindraceo, tenerrime tomentoso, contorto: apice subulato, curvulo.

Crescit arbuscula haec prope Rio de Janeiro, praesertim in nemoribus ad aquaeductum, ubi Octobri et Novembri florentem et simul semestris elapsi fructus gerentem conspexi. Ejusdem speciei exemplaria adulta (spontaneis patriae simillima) in caldariis arcis caes. reg. Schoenbrunnensis multis jam annis vegetant, singulisque florent fructusque gerunt, pro Helictere jamaicensi habita, quacum (exactissime quidem a divo Jacquinio descripta et depicta) simul forsan fuerunt seminata, nec amplius examinata. Etiam in horto botanico Universitatis Pragensis ex seminibus a me allatis plantae speciei hic descriptae excreverunt, iterum fertiles. Harum ego semina sub eodem Helict. brasiliensis nomine, quo in catalogo nostro, seminum communicandorum causa impresso, apparet, jam ab anno 1821 *pluribus hortis transmisi.*

Truncus ascendens, rarius erectus, mox a basi ramosus; una cum ramis, quindecim pedes, vel ultra altus. Cortex cinereus, tuberculato-scaber, in trunci parte infima tenerrime rimosus. Lignum durum, ex albo flavescens.

Rami teretes, brachiati; ramulis subflexuosis, tomento, ad eorum apicem rufescente, obductis.

Folia petiolata: petiolo mediocri, terete, ad insertionem laminae paullo incrassato; alterna, ad apices ramorum confertiora, ovata, subcordata, acuminata, duplicato-serrata, septemnervivenosa: nervis extrorsum ramosis; supra saturate viridia, pubescentia; subtus pallidiora, villosohirsuta (pilis ad lentem stellulatis), nervis tomentosis, basi rufescentibus; venis venulisque anastomozantibus reticulata; longitudine tres quatuorve pollices aequantia, in ramis junioribus nonnunquam septem vel octo superantia.

Stipulae binae, setaceae, virides, tomentosae, petioli basi adjacent; quorum vetustiora fuscescunt.

Flores ad apicem ramulorum fasciculatim aggregati, ad unum alterumve latus oblique erecti, inodori; pedunculis calyce duplo longioribus, teretibus, tomentosis, ramoso-multifloris; pedicellis calycem subaequantibus, bi-aut trifloris; bracteolis binis, setaceis, tomentosis, cuilibet calyci adjacentibus, stipulisque simillimis; glandulis in pedicellorum axillis, binis aut pluribus, subglobosis, umbilicatis, glabris, viridibus (exsiccatione nigris).

Calyx: perianthium inferum, ovato-tubulosum, compressiusculum, pone apicem coarctatum, quinquefidum: lobis acutis, coadunatis; rumpendo bilabiatum, oblique patens, quandoque instar folliculi uno solummodo latere ruptum; coriaceum, extus tomentosum, rufo-canescens; intus glabrum, viride, a basi ad tertiam altitudinis partem membrana opaca, arcte adhaerente, obductum; succo dulcissimo, aqueo repletum; exarescens et subpersistens.

Corolla: petala 5, spathulato-unguiculata: unguibus calycem longitudine aequantibus, deorsum sensim angustatis, viridibus; ubi in laminam abeunt, utrinque (rarius in petalis angustioribus uno solum latere) appendiculatis: appendiculis decurrentibus, supra dilatatis, praemorso-laceris; laminis obovato-rotundatis, integerrimis, in flore adhuc clauso rectis, in aperto extra calycem reflexis, badio-purpureis; inaequalia: summum latissimum, lateralia angustiora, infimum angustissimum.

Stamina decem. filamenta in tubum, carpophorum includentem, eique arctissime junctum, connata; apice libera, filiformia, recta, ovarium umbellatim cingentia, aequalia, pallide viridia, apice antherifera. Antherae transversae, lineari-reniformes, sulco longitudinali alteroque transverso cruciatae, connectivo tumido, in carinam compresso, viridi; in flore adhuc clauso circa circum contiguae, globulum, filamenta et ovarium occultantem, stylumque cum parandriorum apicibus exserentem, formantes; uniloculares; polline flavo repletae.

Parandria 5, squamaeformia, e filamentorum tubo, intra horum circulum enata, ovarii sulcis incumbentia, lanceolata, dilute viridia; cum staminibus decidua.

Pistillum: ovarium ovatum, quinquesulcatum, villosum, virens, longissime stipitatum: carpophoro terete, ante floris expansionem arcuatim exserto, demum elastice exsiliente, longitudine calycem plus quadruplo superante, basi sua perianthii lobis inferioribus incumbente, caeterum levissime recurvo. Styli 5, in unum, subulato-filiformem, subsulcatum, basi tortum, simulque infractum et extra staminum umbellam latere porrectum, ovario triplo longiorem, concreti. stigmata simplicia, subcontigua; una cum stylis, ovario concolora.

Fructus stipitello longissimo oblique insidens, cylindraceus: apice subulato, rectiusculo, vel leviter curvato; pollice longior, sesquipollicem saepius aequans, olivaceo-fuscus, e carpellis 5 componitur. Carpella contigua, arcte in spiram contorta: apicibus sensim in mucronem productis; lignosa, tomento tenerrimo, adpresso vestita; leguminibus non absimilia, sed univalvia: valvulis dorso subangulatis, carinatis; angulo interno, in aciem compresso, dehiscentibus; venulis aliquot elevatis, earum latera percurrentibus; pagina interna glaberrima, testacea.

Semina numerosa, suturae dehiscenti alternatim affixa; oblique obovata, angulata, glabriuscula. Testa coriacea, fusca; membrana interna tenerrima, albida. Endospermium penitus absorptum. Embryo magnitudine seminis, orthotropus, albidus. Cotyledones foliaceae, contiguae, in spiram convolutae. Radicula brevis, cylindrica, obtusiuscula.

EXPLICATIO TABULAE.

Arbusculae, in horto Schoenbrunnensi cultae, ramulus florens.
a) Flos expansioni proximus, supra et b) infra visus.
c) Idem, demto calyce.
d) Floris plane clausi petala, cum genitalibus, calyce privata.
E) Ejusdem genitalia, demtis petalis.
F) Antherae polline repletae.
g) Flos apertus, cum binis adhuc clausis.
h) Calyx floris aperti.
I) Petala.
K) Genitalia floris aperti.
L) Anthera, polline ejaculato.
M) Pistillum, parandriis adpressis.
N) Idem, parandriis vi reflexis.
O) Ovarium transverse dissectum.
p) Fructus maturus.
q) Idem, transverse dissectus.
r) Capsula separata.
s) Ejusdem apex, suturam dehiscentem, cum seminibus ei affixis, monstrans.
t) T) Semen dorso visum.
U) Idem, a latere.
V) Idem, transverse dissectum.
W) Idem, testa privatum.
X) Embryo.
Y) Idem, cotyledonibus evolutis, adhuc contiguis.
Z) Idem, cotyledonibus plane expansis.

PASSIFLORA. Linn. Juss.

MONADELPHIA, Pentandria. Linn.

Ordo naturalis: Passifloreae. Juss.

GENERIS CHARACTER.

Calyx: perianthium inferum, basi urceolatum, limbo magno, colorato, patente, decem-partito, laciniis 5 exterioribus saepe sub apice mucronatis, 5 interioribus petaloideis (petala L.); omnibus simul marcescentibus; rarius quinque-partito: laciniis interioribus deficientibus. Nectarium in urceolo locatum. Corolla nulla. Paranectarium: Corona filamentosa, triplex; singula uni-bi-aut pluriserialis: exterior ex imo calycis limbo enata, multipartita: filis teretibus aut complanatis, confertis, radiantibus aut erectis; intermedia inter limbum et urceolum inserta; intima urceoli margini insidens, aut tota aut basi membranacea, operculum formans, saepissime circa columnam stamineam connivens. Stamina quinque. Filamenta in columnam tubulosam, stipitem ovarii arcte includentem, connata, supra libera, horizontaliter divergentia. Antherae oblongae, incumbentes, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium stipitatum. Styli tres, clavati. Stigmata capitata. Pepo unilocularis, polyspermus. Receptacula tria, linearia, parieti per longitudinem affixa. Semina numerosa, compressa, saepissime scrobiculata, arillata, endospermica. Arillus membranaceo-pulposus, exarescens. Endospermium carnosum. Embryo orthotropus. Cotyledones foliaceae, planae. Radicula brevis, peritropa.

PASSIFLORA amethystina.

Passiflora foliis leviter cordatis, trilobis, subintegerrimis, glabris, subtus glaucescentibus, ad utrumque sinum biglandulosis; lobis ovatis, obtusiusculis, subaequalibus; petiolis mediocribus, 3–7 glandulosis; stipulis semicordatis, cuspidatis; pedunculis petiolo paullo longioribus, axillaribus, solitariis, unifloris; coronae filis extimis lacinias perianthii subaequantibus.

Speciem hanc prope Tocaja, in valle amoenissima, versus littora maris excurrente, sepes obducentem, mense Februario florentem, detexi, eique, cum novam esse mox suspicarer, nomen: amethystina, colorem coronae filamentosae indicans, imposui. Viennam advecta, iterata vice floruit, quin fructum dederit, taleis tamen multiplicata.

Caulis fruticosus, diffuse scandens, basi digitum, vel ultra, crassus: cortice extus arido et incano, intus carnoso et viridi lignum, centro duriusculum, ambitu suberosum includente; superius tenuis, teres, laete viridis, sparsim pilosulus, ramosus: ramis remotis, cauli simillimis, summitate herbaceis, pubescentibus.

Folia alterna, tres plerumque pollices distantia, brevi-petiolata, palacea, membranacea, basi leviter cordata, triloba: lobis ovatis, subaequalibus, apice obtusulis, setula minutissima terminatis; subintegerrima: versus basin remote et tenuissime serrulata; ad utrumque sinum biglandulosa: utraque glandula in margine opposito locata, minuta, globosa; quinquenervia: nervis extimis minoribus, ad medium marginis postici excurrentibus; glabra; supra laete viridia, colore venarum profundiore; subtus glaucescentia, venulis reticulata; sesquipollicem duosve pollices longa, duos cum dimidio vel tres pollices lata (maxima longitudine duos cum dimidio, latidudine quatuor pollices superantia); levi tritu foetentia.

Petioli subdimidio breviores lamina, semiteretes, supra canaliculati et glandulis 3–7 clavatis, extrorsum curvatis, apice madentibus, aut per paria approximatis aut vagis instructi; cum nervis paginae inferioris tenerrime et sparsim pubescentes.

Stipulae geminae, oppositae, semicordatae, subintegerrimae: versus basin tenerrime glanduloso-denticulatae, cuspidatae; 6–10 lineas longae; caducae.

Cirrhi axillares, longi, duplo tenuiores petiolo, simplices, teretes, glabri.

Pedunculi solitarii (rarius bini), axillares, uniflori, horizontaliter patentes, petiolis paullo longiores et graciliores, teretes, glabri, bracteati: bracteolis ternis, minutis, lanceolato-acuminatis, remote denticulatis, non nisi alabastrum novissimum involucrantibus et mox caducis, remanente insertionis articulo, flori propinquo; hunc inter et florem paullo crassiores; in medio callis binis aut tribus minutis instructi.

Flores inodori, diametro pollices duos superantes, sesquitertium plerumque aequantes.

Calyx: Perianthium urceolato-rotatum, coriaceo-membranaceum. Urceolus plus triplo limbi laciniis brevior, cylindraceo-subcampanulatus, extus laevis, nudus, pallide viridis; subtus planiusculus; intus laevissimus et septo carnoso, leviter introrsum voluto, columnam stamineam sub annulo pedamenti cingente, terminatus. Limbus decem-partitus, stellato-patentissimus (tandem reflexus): laciniae exteriores lineari-oblongae, rotundato-obtusae, concaviusculae, extus pallide virides, sub apice aristato-rostratae, intus caeruleae; longitudine pollicem, latitudine lineas duas superantes; interiores (petala L.) exterioribus forma et directione similes, sed paullo breviores, muticae et utraque pagina caeruleae; parum teneriores.

Paranectarium: Corona filamentosa, triplicis ordinis: exterior basin limbi pluribus seriebus occupans, quarum binae extimae limbum subaequant, numerosae, patentissimae, filiformes, apice attenuatae, flexuosae, basi amethystino-purpureae, caeterum caeruleae; proximae quadruplo breviores, cum reliquis brevissimis plus minus erectae et gracili-clavatae, amethystino-purpureae; intermedia priori subcontigua, spatio angusto quidem, sed distincto, inter limbum et urceolum inserta, biserialis: filis alternantibus, erectis, proxima coronae exterioris paullo superantibus, caeterum similibus; intima ipsi urceoli margini insidens, supra filamentosa: filis serie simplici circa columnam stamineam conniventibus, et ultra hujus medium assurgentibus, amethystino-purpureis; basi in membranam plicatam, purpurascentem concretis, cujus margo superior introrsum glandulis contiguis, hamuliformibus instructus, columnae pedamento incumbit, nectarii operculum formans.

Nectarium ad urceoli marginem locatum, columnam stamineam ambiens, operculo supra, septo infra limitatum, quo ab areola columnifera separatur.

Stamina: filamenta quinque, in columnam tubulosam, e centro urceoli assurgentem, carpophorum arcte includentem, diametro floris fere triplo breviorem connata, sub ovario libera, lineari-ligulata, horizontaliter divergentia, in mucronem, antheras excipientem attenuata, virentia et cum columnae superiore parte punctis purpureis numerosis adspersa. Columnae pedamentum robustum, cylindricum, supra in annulum, septo urceoli altiorem tumescens, virens et immaculatum. Antherae lineares, utrinque obtusae, basi fissae, incumbenti-versatiles (in alabastro circa ovarium et stylos longitudinaliter contiguae, stigmatibus inopertis); biloculares, flavae; connectivo plano, viridi.

Pistillum: ovarium stipiti triplo longiori, firmo, recto, columnam explenti, insidens; ovale, leviter quinque-sulcatum, pubescens, viride. Styli clavati, flexuosi, reclinato-patentes, ovario non multum longiores, virides, punctis purpureis adspersi; stigmate semigloboso, profundius viridi, oblique pileato-capitati.

Fructus a me non visus; (asserente Schott) subglobosus, ovi columbini magnitudine, viridis.

EXPLICATIO TABULAE.

Caulis summitas florigera.

a) A) Flos nondum evolutus.

B) Genitalium in eodem flore situs et directio.

C) Antherae ejusdem floris: altera dorso, altera prona parte visa.

D) Ejusdem floris pistillum.

e) Flos explicatus, verticaliter dissectus.

F) Idem, avulso limbo et abbreviatis coronae filis extimis; columnam stamineam, urceoli septum et nectarii operculum manifestius ostendens.

G) Anthera, polline ejaculato.

H) Urceoli cavitas, demta columna; quo melius nectarium, septi margo et operculi glandulae appareant.

I) Coronae exterioris et intermediae fila.

GLOXINIA. Sims. (non L'Herit.)

DIDYNAMIA, ANGIOSPERMIA. Linné.

Ordo naturalis: BIGNONIAE. Jussieu. GESNEREAE. Richard.

GENERIS CHARACTER.

Perianthium adnatum, quinquefidum. Corolla basi tubulosa, fauce campanulata, limbo inaequaliter quinquelobo, bilabiato. Filamenta, cum rudimento quinti, imo tubo corollae inserta. Glandulae epigynae quinque. Ovarium semi-inferum. Stylus fistulosus. Stigma capitato-urceolatum, fauce pervia. Capsula baccans, unilocularis. Receptacula duo, opposita, parietalia, biloba. Semina numerosissima, minima.

Observ. Meritissimus de re botanica L'Héritier genus hoc fundavit, eoque unicam, justo Martiniis exclusam speciem, Gloxiniam maculatam, comprehendit; characterem generis autem non satis stabilivit, cum fructum non examinavisse videatur, quem dicit subbilocularem, caeteris ejus notis omissis. Sims *(in Bot. Mag. Vol. XLIV. pag. et tab.* 1937*)* Gloxiniam speciosam, et a me in Brasilia observatam, publicavit, sed characterem generis, huic non convenientem, aliquantum mutavit. Re vera haec, et nova hic proposita species charactere generico inter se conveniunt, a Gl. maculata autem discedunt, cui (indicante L'Héritier) calyx est superus et nectarium gibbum ad basin anticam corollae, dum hae calycem habent adnatum, glandulasque epigynas quinque. Accuratiore fructus examine aut fiet, ut Gl. maculata Gesneriae (quod jam Jussieu *in generibus plantarum* judicavit) vel affini generi adnumeretur, tumque binis his speciebus Gloxiniae genus (mutato tamen, ut supra, charactere) conservabitur, — aut locum retinebit L'Héritieri Gloxinia, tumque iisdem speciebus novum genus constituere suoque nomine insignire mihi reservo.

GLOXINIA Schottii.

Gloxinia caulescens; foliis ovatis, acuminatis, bullato-rugosis, crenatis, convexo-reflexis, discoloribus, brevi-petiolatis; floribus axillari-terminalibus, cymosis; calycibus pentagono-alatis; corollae fauce supra constricta, limbo patente.

Formosam hanc plantam in montium jugo: Serra grande, duodecim circiter millia germanica ab urbe Rio de Janeiro distante, Dom. Schott detexit, cujus nomine speciem designavi. Duo specimina viva Viennam fuerunt advecta, ubi binis annis, Aprili et Majo, floruerunt, quin fructum perfecerint, nunc jam emortua, relictis tamen plantae propaginibus.

Radix: tuber depresso-globosum, torosum (tuberibus Solani tuberosi magnitudine et colore non absimile) basi vel etiam lateribus radiculas emittens numerosas, capillares, concolores.

Caulis humilis (in solo natali subnullus), simplex, rarius ramulum emittens; hinc inde a foliorum lapsu cicatrisatus, fuscus, rimose striatus: striis pallidioribus.

Folia opposita, ovata, acuminata, bullato-rugosa, crenata, convexo-reflexa, coriacea, petiolata; petiolum semiteretem, supra canaliculatum, rubrum passimque punctis albidis pictum, quadruplo superantia (6—8 uncias longa); supra saturate viridia, nervo ultra medium laminae venisque basi rubris; nitentia, pilis tamen minutissimis erectis scabra; subtus glabra, cum nervo venisque rubra vel rubentia: venulis viridibus; laminae basi quandoque inaequali.

Flores pedunculati, caulem terminantes (infimi axillares), cymosi, spectabiles, inodori.

Pedunculi calyce breviores (anthesi absoluta elongati), teretes, glabri, purpurei; foliis floralibus minutis, bracteas simulantibus, suffulti.

Calyx: perianthium adnatum (semi-superum), monophyllum, ovatum, inflatum, apice quinquefidum: lacinia summa longiore, reliquis per paria gradatim brevioribus; quinque-alatum: alis cum la-

ciniis alternantibus, basi latioribus, ad incisuras laciniarum sensim evanescentibus, uno alterove dente munitis; glabrum, purpureum, intus viride; sesquiunciam, vel ultra, longum.

Corolla tubuloso-bilabiata: tubo brevissimo, basi globoso, sensim in faucem campanulatam ampliato et leviter antrorsum curvato, intus haccum virente, striis, e punctis purpureis confluentibus picto, extus pallidiore, striis perlucentibus; limbo irregulariter quinquefido: laciniis duabus supremis erectis, labium superius constituentibus, altera alteri margine interno incumbente, ibique appendicem corniculatam emittente; duabus lateralibus reflexis, cum infima reniformi, patente, labium inferius formantibus; omnibus rotundatis, undulato-crenulatis, pallide sulphureis. Corollae fundus nectare repletus.

Stamina didynama. Filamenta ima corollae basi affixa, filiformia, basi parum incrassata, apice per paria arcuatim conniventia et antrorsum cernua, limbi basin aequantia: altero pari paullo breviore; (in flore nondum explicato brevia, recta); virenti-pallida, monanthera; quinti rudimento brevissimo, subulato, virente. Antherae per paria coalitae: paribus contiguis; biloculares, antrorsum dehiscentes, flavae; in flore nondum explicato subovatae: apice rotundatae, basi truncato-emarginatae, erectae, connectivo incrassato; in explicato (post foecundationem) subdidymae, connectivo valde tumido et cum loculorum membranis corrugatis subcubico, albido.

Glandulae epigynae 5, ovarium coronantes, styli basin ambientes, conicae, erectae: apicibus extrorsum curvatis, obtusis; albentes.

Pistillum: ovarium semi-inferum (integumento calycis ei communi), uniloculare; sectione receptacula monstrans bina, opposita, parietibus adnata, biloba: lobis recurvis; ovulis minimis, numerosissimis repletum. Stylus teres, fistulosus, puberulus, virens, apice antrorsum curvatus et paullo incrassatus, staminibus longior, corollam subaequans. Stigma peltato-urceolatum: fauce pervia, transverse latiore; margine revoluto; virescens.

Fructum, qui (asserente Schott) eandem cum illo Gl. speciosae habet structuram, non vidi.

EXPLICATIO TABULAE.

Planta, e patria Viennam advecta, florens.

a) Calyx, frusto abscisso, corollam nondum explicatam monstrans.
b) Staminum in flore inexplicato situs et directio.
C) Horum unum, dorso visum, cum insertione filamenti.
D) Idem prona parte visum.
e) E) Styli apex, cum stigmate, ante foecundationem.
f) Corolla, demto calyce, dorso visa.
g) Corollae dissectae pagina interna, cum staminibus.
H) Anthera post foecundationem a latere, et
I) prona parte visa.
k) Pistillum, cum glandulis epigynis.
L) Stigma supra visum.
M) Idem a parte infera.
N) Ovarium, cum styli basi et glandulis epigynis.
O) Ovarii sectio transversalis, receptacula cum ovulis manifestans.
P) Ejusdem sectio verticalis.

JACCHUS. Desmarest.

(HAPALE. Illiger.)

PRIMATES. Linné. QUADRUMANA. Blumenbach.
POLLICATA, quadrumana. Illiger.
QUADRUMANA, simiae, platyrhini. Cuvier. Desmarest.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Dentes, primorum superiorum externi subconici; laniarii superiores a primoribus remoti, inferiores illis contigui; molares supra et infra utrinsecus quinque: posteriores 2 supra tri-infra quadricuspidati. Cauda elongata, laxa. Pedes pentadactyli: antici maniculis, postici manibus.

GENERIS CHARACTER. Illiger.

Dentes primores suberecti, approximati, utrinque 4, inferiores nonnullis angusti, elongati; laniarii conici, primoribus longiores, superiores a primoribus remoti, inferiores illis contigui; molares obducti, tritores, cuspidati, supra et infra utrinsecus 5. Rostrum obtusum. Angulus facialis 60 graduum. Vultus denudatus. Nares septo lato diremtae, lateraliter patulae. Sacculi buccales nulli. Auriculae immarginatae. Cauda elongata, laxa. Mammae 2 pectorales. Pedes pentadactyli: antici maniculis, postici manibus. Ungues falculares: scelidum pollicis tegularis. Nates pilosae, tyliis nullis.

Observ. Genus hoc in genera Hapale et Midas divisit clarissimus Kuhl; *) quibus stabiliendis characteres sufficere mihi non videntur, cum dentium forma et collocatio in notis essentialibus sit eadem, et modica primorum maxillae inferioris elongatio vel laniariorum modica abbreviatio minoris sit momenti, cum praeterea auriculae maximae generi Midas non conveniant, sed uni alterive speciei paullo sint majores, vel ob jubam capillorum deficientem magis apparentes, et similiter, ut generi Hapale, immarginatae, caudaeque simul et pedum conditio, sicut totius corporis habitus, in utroque genere sit eadem. Quare, cum opinione clarissimorum Illiger **) et Desmarest ***) consentiens, separationem hanc omittendam existimavi. Nomen autem, a Geoffroyo generi pridem inditum, servandum, nec illo, quod, ab Illigero impositum, characterem non omnibus speciebus convenientem exprimit, duxi deturbandum. Subdivisiones generis duas assumit Desmarest, generibus Kuhlii supra nominatis adaequatas, et notis a dentium forma et situ desumtis (mihi vacillantibus) distinguendas. Tres, meo quidem judicio, se offerunt manifestiores; prima: fasciculo capillorum uno alterove auriculis adjacente caudaque annulata, ut in J. penicillato; altera: juba capillorum caput cum auriculis, quibusdam vel humeros tegente, cujus exemplum dat J. Rosalia; tertia: capillis nullo modo elongatis, auriculis patentibus; quam J. Midas exhibet.

JACCHUS CHRYSOPYGUS. Natterer.

Jacchus niger, uropygio scelidumque latere interiore aureis, fronte luride flava, juba capitis ultra humeros descendente.

Speciem hanc in Brasilia detexit Dn. Joan. Natterer, prope Ypanema Capitaniae St. Paulo, ubi ab incolis Saguhy dos grandos vocatur. Aliquot ejus specimina inde misit, sclopeto icta et optime conservata.

---

*) Beyträge zur Zoologie und vergleichenden Anatomie etc. (Frankfurt am Main 1820.)
**) Prodromus systematis Mammalium et Avium. (Berolini 1811.)
***) Mammalogie ou Description des espèces des mammifères. 1. Partie. (Paris, 1820.)

DESCRIPTIO.

Caput parvum, rotundatum, jubatum: juba molli, nigra, in vertice per variculam assurgente, lateribus et dorso ad antibrachia usque descendente. Auriculae mediocres, nigrae, immarginatae, juba penitus absconditae. Frons retusa, cum margine superiore orbitarum in prominentiam transversalem juncta, pilis adpressis, luride flavis, nitentibus, verticem versus angulo acuto in jubam capitis intrantibus vestita. Facies denudata, nigricans; nasus basi in carinam, cum orbitarum margine superiore confluentem, elevatus. Oculi..mihi non visi. Dentes primores maxillae superioris: intermedii latiusculi, scalpro integro, basi angustati; externi subconici, obtusiusculi; maxillae inferioris angustiores et paullo longiores, horum externi apice extrorsum, ad excipiendam superiorum cuspidem, emarginati; laniarii elongati, robusti, subtriquetri: superiores a primoribus remoti, modice divergentes, ore clauso tomium maxillae inferioris paullo superantes, postice acie carinati, antice sulco longitudinali tenui notati; inferiores primoribus contigui, laniariis superioribus vix breviores, magis divergentes, apice interstitiis maxillae superioris, a remotione laniariorum exortis, suscepti; molares continui, approximati, extrorsum gradu parvo aucti: superiorum anteriores 3 bicuspidati, posteriores tricuspidati: cuspide interna latiore, ex duabus quasi concreta, omnium cuspidibus externis longioribus; inferiorum primi subunicuspidati (cuspide nempe interna obsoleta, externa elongata), proximi duo bicuspidati, posteriores quadricuspidati. Occiput eminens et Collum breve, juba obteguntur.

Truncus gracilis. Interscapulium cum humeris, pectus et brachia vellere pilorum longiorum nigro, e juba capitis continuato, vestita. Trunci pars inferior cum clunibus, pilis brevioribus, magis incumbentibus tecta, tergo ventreque nigris, uropygio aureo.

Cauda truncum cum capite longitudine superans, laxa, pilis subincumbentibus, nigris, ima basi ex uropygio descententibus aureis, ultra apicem in penicillum tenuem attenuatum elongatis, undique tecta.

Pedes omnes pentadactyli, podiis elongatis, digitis gracilibus; antipedes digitis omnibus unguiculatis, nigro vestiti; scelides antipedibus paullo longiores, femoribus tibiisque latere interno aureis, externo nigris, hinc inde (colore illius in hunc transeunte) rufescentibus; manibus pollice brevi instructis, nigris. Digiti omnes, ut pollex, supra pilosi: pilis maniculorum, unguium basin attingentibus; manuum, ultra ungues porrectis. Ungues falculares, robusti, acuti, subtus sulco profundo exarati, in scelidum pollice tegularis, convexulus, rotundatus.

Genitalia (quorum forma ad characteres generum naturales simiarum perficiendos non exigui mihi videtur momenti) in animali vivo a me non visa, in speciminibus infarctis distinctu difficillima.

Mas feminae (quam tabula sistit una cum cranio a latere et dentibus antice spectatis) simillimus, excepto colore aureo uropygii obscuriore, et peripheria illius minore.

Mores, de quibus *Dn. Natterer* (assiduus Brasiliae peragrator) observationes hucusque non communicavit, cum J. Rosalia, huic speciei proxima, eosdem habere videtur. Haec, praeter fructus patriae suae pulposos vel succulentos, insectis vescitur, aviumque amat ova; ceterum, quantum in vivis observare mihi licuit, mordax et avida, difficilius cicuratur quam Cebus capucinus vel Apella, qui ex omnibus simiis facillime mansuefiunt.

MENSURAE,

ex infarcto specimine desumtae, ad pedem Viennensem.

		Ped.	Poll.	Lin.
Longitudo	a rostri apice ad basin caudae - - - - - - - -	—	10	9
——	caudae cum pilis, ejus apicem excedentibus - - - - - -	—	14	5
——	antipedum, ab insertione ad unguium apicem - - - - - -	—	8	5
——	scelidum, ab insertione ad unguium apicem - - - - - -	—	10	6

CORVUS. Linné.

PICI. Linné. AMBULATORES, Coraces. Illiger.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. Linné.

Rostrum convexum, cultratum. Nares pennis setaceis recumbentibus obtectae. Lingua cartilaginea, bifida. Pedes ambulatorii.

GENERIS CHARACTER. Illiger.

Rostrum mediocre, interdum capite longius, crassiusculum, validum, cultratum, rectum, rarius incurvum, tomio maxillari pone apicem saepius emarginato. Nares basales, plumis mastacalibus, setaceis, recumbentibus tectae. Lingua brevis, cartilaginea, acuta, apice fissa. Pedes ambulatorii, mediocres, congrui. Acrotarsia aut scutulata, aut superne caligata inferne scutulata. Acrodactyla scutulata.

CORVUS TRICOLOR Natterer.

Corvus capite, collo, pectoreque nigris, crista capitis retrorsum arcuata; dorso, alis, caudaeque dimidio ad basim, cyaneis; ventre, crisso, caudaeque dimidio extremo, niveis.

Pulchrae hujus speciei plura specimina misit Dn. Joannes Natterer, ab ipso icta prope Matto dentro ad limites Capitaniae Rio de Janeiro; prope Ypanema, Rio verde, Curitiba et in aliis locis Capitaniae St. Paulo, ubi Gralha branca haec avis vocatur ab incolis.

DESCRIPTIO.

Caput nigro-fuscum. Rostrum mediocre, nigrum, crassiusculum, validum, cultratum, rectiusculum: culmine dertroque leviter incurvis; tomiis integerrimis: maxillari versus apicem subincurvo. Nares basales, ovales, concavae, plumis mastacalibus, setaceis, antrorsum porrectis, nigris tectae. Frons cristata: crista e plumis setaceis narium assurgente, brevi, retrorsum arcuata, nigra: plumis primoribus erectis, gradatim majoribus; intermediis maximis, basi erectis demum retrorsum arcuatis, apicibus verticem non transgredientibus; posticis brevioribus, fastigiatis. Antiae, mastax, genae et tempora nigra. Occiput nigro-fuliginosum. Lingua (mihi non visa.) Oculi fusci.

Collum et interscapulium nigro-fuliginosa. Pectus nigrum: colore, arcu deorsum verso, exacte limitato. Tergum et uropigium fuliginoso-cyanea: colore interscapulii in horum colorem sensim transeunte. Abdomen, hypochondria et crissum nivea: hypochondriorum plumis molliori-bus et amplioribus.

Alae longae. Remiges planiusculae, supra pogonio externo cyaneo, interno fusco, rhachi nigra nitente; subtus cinereo-nigricantes, micantes, rhachi concolore; primariae decem: prima brevissima, secunda et tertia gradatim longiores, quarta longissima, quinta et sexta vix breviores, reliquae sensim longitudine decrescentes; octo primae a medio ad apicem attenuatae: pogonio externo multo angustiore; ultimae duae latiores: marginibus magis parallelis, forma ad secundarias accedentes; secundariae novem, primariis latiores, apice orbiculato: primae longitudine sensim crescentes ad quintam usque, haec, sexta et septima aequales et longissimae, penultima brevior, ultima brevissima: pogoniis externis in septem primis sensim latioribus; duae ultimae isopogones et pennis parapteri simillimae. Parapterum breve, cyaneum. Tectrices superiores cyaneae, inferiores niveae. Campterium cyaneum.

Cauda elongata, subaequalis. Rectrices duodecim transversae: extimae duae intermediis paullo breviores, caeterae subaequales; omnes a basi ad medium supra cyaneae, rhachi nigra nitente; infra nigrae, rhachi nigricante; a medio ad apicem in utraque pagina niveae, rhachi concolore. Colorum limites transversae, hinc inde subangulosae. Calypteria superiora cyanea, inferiora nivea.

Pedes ambulatorii, mediocres, congrui, nigri. Tibiae ad suffraginem usque plumosae: plumis niveis. Acrotarsia et Acropodia scutulata: illorum scutulis elongatis, horum abbreviatis. Paratarsia cum plantis caligata. Digiti, acrodactylis scutulatis: anticorum intermedio longissimo; interno, externo et halluce subaequalibus. Ungues incurvi, acuti, majusculi, nigri: postico maximo et validissimo, anticorum externo minimo.

Femina mari, hic descripto et in icone exposito, simillima.

Vivendi ratio et nidificandi modus a *Dno. Joann. Natterer*, animo invicto Brasiliam hucusque peragrante, probabiliter observata, sed nondum communicata.

Observ. Habitu haec avis gaudet simul C. Picae et C. glandarii, vel eorum intermedio, quod jam *Vieillot* animadvertit in *Nouv. dict. d'hist. nat. Tom. XXVI. pag.* 129, ubi prima hujus Corvi fit mentio, quin illi nomen systematicum latino idiomate daretur. Quapropter cum aliis hujus generis, Americam meridionalem inhabitantibus, rationem praebet, genera: Pica et Garrulus, a sagacissimo *Brisson* e speciebus a Corvi genere sejunctis formata, generi primario iterum adscribendi. Absoluta volucris hujus imagine lithographica nomineque jam insculpto, altera provenit illius indicatio diagnostica in *Itinerario celsiss. Principis Neo-Vidani P. II. pag.* 190, ubi Corvus cyanoleucus denominatur. Ego nomen a *Dno. Natterer* illi impositum retinendum duxi, quia non solum aptissimum est, sed etiam cum prima hujus speciei icone accurata et descriptione perfecta hic publicatur.

MENSURAE.

Secundum pedem Viennensem.

	Ped.	Poll.	Lin.
Longitudo ab apice rostri ad extremum caudae	1	3	—
—— rostri ab ipsius apice ad oris angulum	—	1	6
—— cristae	—	1	9
—— alae complicatae	—	8	—
—— alarum expansarum	1	10	6
—— caudae	—	6	—
—— tarsi	—	2	—
—— digiti anticorum intermedii	—	1	7
—— unguis postici	—	—	$8\frac{1}{2}$

LANIUS. Linné.

ACCIPITRES. Linné. AMBULATORES. Illiger.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. Linné.

Rostrum rectiusculum, dente utrinque versus apicem, basi nudum. Lingua lacera.

GENERIS CHARACTER. Illiger.

Rostrum mediocre, robustum, cultratum, dertro adunco, tomiis maxillaribus pone apicem dente exserto, mandibularibus ibidem emarginatis, et denticulatis. Vibrissae patentes, mastacales. Nares basales, laterales, membrana semiclausae, foramine ovali antrorsum aut versus tomia patulae. Lingua fissa. Pedes ambulatorii, mediocres, congrui. Acropodia scutulata. Unguis posticus incurvus, medio antico longior.

LANIUS undulatus.

Lanius capite cristato: crista atra; supra niger, lineis transversis, numerosis, albis undulatus, subtus cinereus; rostro pedibusque nigricantibus.

Prope Mandioccam, villam Domini de Langsdorf Russorum apud Brasilienses Consulis generalis, trans fretum Sebastianopolitanum jacentem, Septembri 1817 ictus est. Adultus et, ex analogia, mas. Unicum hucusque in Museo rerum naturalium c. r. aulico specimen.

DESCRIPTIO.

Caput pileo cristato: crista ampla, ab antiis assurgente, e plumis brevibus setaceis rigidis in majores gradatim dilatata, occiput superante, arcuatim demissa. Vibrissae mastaci et mento adjacentes, breves, densae. Frons planiuscula. Occiput et tempora cinerea. Rostrum mediocre, robustum, rectum, cultratum, dertro adunco, glaberrimum, basi nudum, culmine dertroque nigris, tomiis corneo-albidis: maxillaribus pone apicem dente instructis, mandibularibus ibidem emarginatis et dente munitis. Nares ad basin rostri laterales, antiis proximae, membrana semiclausae, foramine ovali antrorsum patulae. Lingua (mihi non visa). Oculi (in animali jam aliquot horis necato) nigri, (in vivo non observati).

Collum cinereum: cervice saturatius colorato, auchenio concolore, pone dorsum obsolete undulato, gutture pallidiore.

Dorsum cum uropygio nigra, lineis transversis, numerosis, albis, subparallelis undulata. Plumae interscapulii lineis albis, plerumque binis aut ternis, dimidia ad basin quandoque accedente, notatae, basi cinereae; tergi longiores, basi decompositae, ultra duas tertias longitudinis partes cinereae, reliqua parte nigrae, lineis duabus albis notatae; omnes ipso apice nigrae, rachi alternatim alba et nigra. Pectus, abdomen cum hypochondriis et crisso cinerea, hypochondriorum plumae amplae, laxae, decompositae, molles.

Alae mediocres. Remiges concaviusculae, supra nigrae, lineis albis transverse undulatae, rachi nigra, nitente, subtus nigricantes, cinerascenti-micantes, simili modo albo-notatae, rachi fusco-albida; primariae decem: prima brevissima, lineis albis tribus et macula parva marginali pogonii externi pone apicem; proximis gradatim longioribus, quarta et reliquis primam duplo superantibus; in his lineae albae 4 – 6, cum maculis binis pone apicem marginalibus: ma-

jore transversa in pogonio interno, minore obliqua in externo; lineis ad rachim interruptis; secundariae novem, primoribus similes, eosque longitudine aequantes, exceptis: penultima breviore, et ultima brevissima; linearum dimidiis, in primis sex, ad rachim approximatis; in tribus ultimis, contiguis, per rachim solummodo divisis. Parapteri brevis pennae et tectrices superiores lineis albis binis aut ternis, rachim transeuntibus notatae: rachi inde alternatim alba et nigra.

Cauda gradata, elongata. Rectrices duodecim, transversae: primae intermediis duplo breviores, intermediae longissimae, omnes lineis albis, transversis, parallelis, per rachim supra nigram, nitentem divisis, undulatae; lineae dorsalibus paullo remotiores: primarum 8, intermediarum 12; ultimae apicem terminantes, in rectricibus intermediis apicis margo tenerrime niger; linearum dimidiis alternantibus et ad rachim in acumen retrorsum flexis, postremis oppositis. Caudae pagina inferior nigricans, cinerascenti-micans, simili modo, ut superior, albo-notata. Calypteria superiora plumae componunt dorsalibus similes, lineis albis 4, rachim transverse percurrentibus notatae: ultima terminali; inferiora e plumis cinereis composita.

Pedes ambulatorii, mediocres, congrui, plumbeo-nigricantes. Tibiae ad suffraginem usque plumosae: plumis cinereis. Acrotarsium et Acropodium scutellata: scutellis integris, in primo elongatis, in altero abbreviatis. Digiti, acrodactylis scutatis; anticorum intermedio longissimo, interno et externo subaequalibus; halluce paullo breviore. Ungues incurvi, acuti, majusculi, fusco-nigricantes: posticus medio antico longior et robustior.

Magnitudine Corvum glandarium adaequat, cauda elongata Corvi Picae habitum aemulans.

Vivendi rationem et nidificandi modum observare non licuit.

Observ. Generi Batara *Dom. de Azara* adnumerandus; an autem species in hoc genus conjunctae a Laniis *Linnéi* separari mereantur, dijudicent Ornithologi me peritiores.

MENSURAE.

Secundum pedem Viennensem.

	Ped.	Poll.	Lin.
Longitudo ab apice rostri ad extremum caudae -	1	1	10
—— rostri ab ipsius apice ad oris angulum -	—	1	5½
—— cristae - - - - - -	—	2	2
—— alae complicatae - - - - -	—	4	6
—— caudae - - - - - -	—	6	3
—— tarsi - - - - - - -	—	2	—
—— digiti anticorum intermedii - - -	—	1	5
—— unguis postici - - - - -	—	—	8

TANAGRA. Linné.

PASSERES. Linné. AMBULATORES, passerini. Illiger.
GRANIVORES. Temminck.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. Linné.

Rostrum conicum, acuminatum, emarginatum, basi subtrigonum, apice declive.

GENERIS CHARACTER. Temminck.

Rostrum breve, validum; basi trigonum, depressiusculum; plus minus conicum; mandibula superiore paullo longiore, ad apicem valde compressa, deflexa et emarginata; culmine elevato; fossa nasali parva; mandibula inferiore recta, in medio tumidiuscula; ambarum marginibus inflexis. Nares basales, laterales, rotundatae, apertae, plumis mastacalibus semitectae. Pedes ambulatorii, mediocres, tarso digitum anticorum intermedium aequante. Alae mediocres: remigum prima paullo (in quibusdam multo) brevior secunda et tertia, quae sunt longissimae.

Observ. Generis hujus, Loxiae generi valde affinis, limites exacte determinare sane arduum, et character hucusque stabilitus sat vacillans, cum hinc vix Pipras, vix illinc Lanios quosdam excludat, imo species a charactere generico tam aberrantes contineat, ut peritissimi viri, Cuvier et Temminck necesse duxerint, sex hujus generis statuere sectiones, quae tamen, cum altera in alteram transeat, rem vix reddunt clariorem. Interim genus hoc, jam a Linnéo introductum, Illigeri, Cuvieri et Temminckii opera, quantum fieri potuit, dilucidatum retineo, donec ab Ornithologis recentiore scrutinio, aut forte in plura genera fuerit divisum, aut alii generi junctum.

TANAGRA CHALYBEA. Natterer.

Tanagra supra viridi-chalybea, fronte flava; subtus flava, gula viridi-chalybea; remigibus rectricibusque nigricantibus.

Duo speciei hujus exemplaria, alterum masculum (hic descriptum) alterum femineum, prope Ypanema Capitaniae St. Paulo icta, et optime conservata, Viennam transmisit indefessus Dom. Joan. Natterer.

DESCRIPTIO.

Caput viridi-chalybeum, fronte flava, antiis atris. Rostrum breve, crassum, subtrigonum, nigrum, mandibulis inaequalibus: superiore basi fornicata et tumidiuscula, culmine in carinam, ima basi exorientem elevato, arcuatim in apicem deflexum abeunte, pone hunc levissime emarginata et coarctata; inferiore breviore, rectiuscula, basi et lateribus tumidiuscula; marginibus inflexis; apice arcuatim assurgente, subtus subcarinato. Nares basales, aequo inter tomium et culmen spatio locatae, basi plumis mastacalibus tectae; apertura rotundata. Lingua et Oculi in avicula effarcta deficientes.

Collum viridi-chalybeum, jugulo flavo.

Dorsum et uropygium viridi-chalybea. Pectus et Abdomen cum hypochondriis flava.

Alae mediocres. Remiges supra nigricantes: pogonii externi margine (excepta prima unicolore) viridi-chalybeo, in quatuor, primae proximis pone apicem tenuissime flavo, rhachi nigra nitente; subtus griseae, sericeo nitentes: pogonii interni basi, rhachique albis; primariae novem: prima duabus sequentibus longissimis vix brevior, quarta primam aequans, quinta hac parum brevior, reliquae gradatim breviores: pogonio externo in prima per totam longitudinem angustissimo, in tribus proximis ultra medium ad extremum apicis angustato, in reliquis

paullo latiore, subaequali; secundariae octo, quarum prima ultimam primariarum subaequat, proximae autem ad sextam usque gradatim et paullo elongantur, septima hac paullo brevior: pogoniis externis latitudine crescentibus, ultima brevissima, isopogone. Parapterum breve: plumis viridi-chalybeis. Tectrices superiores dorso et paraptero concolores, inferiores albae, apicibus flavidis. Campterium albo flavoque varium.

Cauda brevis, subaequalis. Rectrices duodecim, transversae, remigibus supra infraque concolores, pogonii externi margine viridi-chalybeo; extima unicolore. Calypteria superiora dorso, inferiora abdomini concolora.

Pedes ambulatorii, mediocres, graciles, nigri. Tibia paullo ultra suffraginem plumosa: plumis canescentibus. Tarsus hallucem subaequans. Acrotarsii et acropodii scutula integra. Digiti acrodactylis scutulatis: anticorum laterales aequales, breviusculi; intermedius longior, nec robustior; hallux illis parum longior, intermedium subaequans, omnibus robustior. Ungues incurvi, acuti, validi: posticus lateralibus anticis longior, intermedium aequans; omnibus robustior.

Femina mari, quem magnitudine aequat, colore dissimilis: supra olivacea, subtus cinerea; lateribus flavo-viridibus. Utramque avem tabula sistit.

Mensurae,

a mare desumtae, ad pedem Viennensem.

		Poll.	Lin.
Longitudo	ab apice rostri ad extremum caudae - -	5	—
—	rostri ab ipsius apice ad oris angulum - -	—	$4\frac{1}{2}$
—	alae complicatae - - - - - -	2	7
—	caudae - - - - - - -	1	6
—	tarsi - - - - - - - -	—	8
—	digiti anticorum intermedii - - - -	—	$7\frac{3}{4}$
—	unguis postici - - - - - -	—	$2\frac{1}{4}$

TANAGRA.

GENERIS CHARACTER

in praecedente folio, quod Tanagrae chalybeae descriptionem continet, explicatur.

TANAGRA DIADEMATA. NATTERER.

Tanagra cyanea, pileo niveo, fronte cristata: crista parva, fastigiata, purpureo-ignea, antice basi atra; alis caudaque nigris: remigum rectricumque marginibus viridi varicoloribus.

Pulchram hanc speciem Dom. Joan. Natterer ad Lança, Curitiba, St. Luiz et aliis locis Capitaniae St. Paulo observavit, unde plura utriusque sexus specimina transmisit.

DESCRIPTIO.

Caput cristatum: crista parva, dum erigitur, fastigiata: plumis rectis, anticis brevibus, basin cristae constituentibus, gradatim e fronte assurgentibus, atris, reliquis altioribus, purpureo-igneis; pileo ad occiput usque niveo. Rostrum breve, crassiusculum, basi subtrigonum, nigrum, mandibulis inaequalibus: superiore fornicata, culmine elevato, apice deflexo, pone hunc leviter emarginata et coarctata; inferiore breviore, recta, basi incrassata. Nares basales, tomiis approximatae, parvae, basi plumis mastacalibus tectae. Mastax cum genis et fronte atra, colore in nigrum gutturis abeunte. Tempora cum occipite laete cyanea.

Collum cyaneum, gutture nigro.

Dorsum cyaneum, interscapulio obscuriore, tergo et uropygio saturatius coloratis. pectus et abdomen cum hypochondriis interscapulio concolora. Plumae omnes basi nigrae.

Alae mediocres. Remiges supra nigrae: pogonii externi margine in omnibus, si primam plane unicolorem excipias, cyaneo viridique varicolore, rachi nigra, nitente; subtus e griseo nigricantes, sericeo nitentes, rachi concolore; primariae novem: prima reliquis brevior, secunda et tertia gradatim longiores, quarta et quinta aequales, longissimae, sexta longitudine tertiam, septima secundam aequans, tres reliquae septima parum breviores, subaequales; pogonio externo in prima per totam longitudinem angustissimo, in quinque proximis a medio vel ultra hoc ad extremum apicis angustato, in reliquis paullo latiore, subaequali; secundariae novem, primariarum ultimas longitudine aequantes, pogoniis externis latitudine crescentibus; penultima brevior cum ultima brevissima isopogones. Parapterum breve: plumis nigris, margine externo cyaneis. Tectrices superiores collo, inferiores alarum paginae inferiori concolores. Campterium cyaneum.

Cauda elongata, aequalis. Rectrices duodecim, transversae, remigibus supra infraque concolores: pogonii externi margine in omnibus, exemta extima, eodem modo varicolore.

Pedes ambulatorii, mediocres, graciles, nigri. Tibia paullo ultra suffraginem plumosa: plumis cyaneo-nigricantibus. Tarsus halluce fere duplo longior. Acrotarsii et acropodii scutula integra. Digiti acrodactylis scutulatis: anticorum intermedius laterales, inter se aequales et breviusculos, aeque ac hallucem, his non longiorem quidem, sed paullo robustiorem, longitudine superans. Ungues incurvi, acuti, validi: anticorum intermedius lateralibus, inter se aequalibus, longior; posticus omnium longissimus, validissimus.

Femina marem, hic descriptum et depictum, magnitudine aequat, colore simili quidem, sed obsoleto, in griseum vergente, temporibus solummodo collique lateribus, cum tergo et alarum tectricibus superioribus, cyaneis. Nec capitis crista magnitudine aut colore aberrat, pileus autem non plane niveus, sed albo variegatus.

Mensurae.

Ad pedem Viennensem.

		Poll.	Lin.
Longitudo	ab apice rostri ad extremum caudae - -	7	5
—	rostri ab ipsius apice ad oris angulum - -	—	$5\frac{1}{2}$
—	cristae - - - - - - - -	—	6
—	alae complicatae - - - - - -	3	9
—	caudae - - - - - - -	3	$3\frac{1}{2}$
—	tarsi - - - - - - - -	—	$10\frac{1}{4}$
—	digiti anticorum intermedii - - - -	—	10
—	unguis postici - - - - - - -	—	3

OXYRHYNCHUS. TEMMINCK. *)

ANISODACTYLI. TEMMINCK. (PICI. LINNÉ. AMBULATORES. ILLIGER.)

GENERIS CHARACTER.

ROSTRUM breve, rectum, basi subtrigonum, ultra basin subulato-attenuatum, acutissimum, culmine convexo, tomiis integerrimis. NARES basales, nudae, lineares, tomiis approximatae et his parallelae, superne membrana cartilaginea semiclausae. PEDES ambulatorii, validiusculi, breves, tarso hallucem parum superante. Acrotarsia scutulata: scutulis simul paratarsia obtegentibus. Plantae nudae. Hallux digitum anticorum intermedium longitudine aequans et hoc robustior. Digiti laterales inter se aequales, extimus vix ima basi cum intermedio coalitus. REMIGUM prima deficiens.

OXYRHYNCHUS SERRATUS.

OXYRHYNCHUS supra laete olivaceus, subtus flavo-albidus, maculis numerosis nigricantibus, subtriangularibus, in pectore confertioribus; capite cristato: crista rubro-ignea, lateribus nigra; fronte, genis temporibusque albido nigroque variegatis.

SYNON. Oxyrhynchus cristatus. *Swainson.* **)
Oxyrhynchus flammiceps. *Temminck.* ***)

OBSERV. Nomen a me speciei huic inditum et ante *Swainsonii* et *Temminckii* publicationes tabulae meae insculptum, et nunc retinendum duxi, quia characterem singularem, ab auctoribus his praetermissum, exprimit, remigis nempe extimae serraturam, quae in paucissimis observatur avibus, cum crista multis sit propria. Eligant, quod magis arridet nomen, Ornithologi.

Raro prope Rio de Janeiro haec avis occurrit. Marem unicum ibi ictum accepi. Alterum simul cum femina et pullo, eodem loco mense Junio ictos, misit Dom. Joan. Natterer.

DESCRIPTIO.

CAPUT cristatum: crista sat ampla, retrorsum directa, postice fastigiata, plumis rectiusculis, in medio brevioribus rubro-igneis, in ambitu longioribus: lateralium anticis nigris (crista demissa) subcontiguis, ut passim solummodo intermedii prorumpant, (erecta autem) ita plerumque secedentibus, ut cristae pars media pateat, strigam rubro-igneam, nigro marginatam formans; posticis cum plumis occipitis concoloribus: plumarum rubrarum radiis simplicibus, nigrarum compositis. ROSTRUM breve, rectum, basi subtrigonum, ultra basin subulato-attenuatum, acutissimum, plumbeum, versus apicem nigricans; mandibulis aequalibus, maxilla subfornicata, culmine convexo, tomiis integerrimis, maxillari pone apicem minutissime exciso. NARES basales, nudae, lineares et vix antrorsum angustatae, tomiis approximatae et his parallelae, membrana cartilaginea, marginem superiorem formante, semiclausae; plumarum mastacalium apicibus setaceis, nigris, supra narium basin intectam erectis. Frons, mastax, genae temporaque lineis nigricantibus et albidis subundulatis variegata. OCCIPUT olivaceo-nigricans. LINGUA ... mihi non visa. OCULORUM color .... non observatus.

COLLUM variegatum: cervix olivacea, maculis obsoletis nigricantibus, hinc inde confluentibus; guttur et parauchenia albida, maculis transversis, obscure nigris, in lineas confluentibus, subundulata.

---

*) Manuel d'ornithologie ou tableau systematique des oiseaux etc. par *C. I. Temminck.* Seconde Edition, 1. Partie. (Paris, 1820.) Pag. LXXX.
**) Zoological illustrations etc. by *William Swainson.* Nr. 9. (London, 1821.) Tab. 49.
***) Nouveau recueil de planches coloriées d'oiseaux. Publié par *C. I. Temminck* et *Meiffren Laugier.* 20. Livraison. (Paris, 1822.) Planche 125.

Dorsum et uropygium olivacea. Interscapulium maculis aliquot nigricantibus, a cervice descendentibus, sed inter se remotioribus notatum. Pectus et abdomen cum hypochondriis et crisso flavo-albida, maculis nigricantibus, imo nigris, subtriangularibus, antrorsum acutis, retrorsum indistincte fissis (in pectore confertioribus, transversis et vix non in lineas undulatas abeuntibus) obsita. Hypochondriorum plumae molliores et ampliores: dorso adjacentes olivaceae, excepta basi, ut in reliquis, cinerea; abdomini proximae huic concolores.

Alae mediocres. Remiges planiusculae, supra nigricantes, pogonii externi margine a basi ultra medium olivaceo, rachi nigra, nitente; subtus cinerascentes, pogonii interni margine a basi ultra medium flavescente, rachi alba; primariae (deficiente in hoc genere prima) novem: harum prima proximis paullo brevior, pogonio externo per totam longitudinem angustissimo, a basi ultra medium radiis brevissimis, inverse uncinatis serrato, ad apicem normali; tres sequentes inter se aequales, pogonio externo a basi ultra medium dilatato, versus apicem ensiformem angustato; quinta primam longitudine aequans, pogonio externo subaequali; quatuor reliquae gradatim decrescentes, pogonio externo aequali; secundariae decem, primariis latiores, apice magis rotundatae: primae duae primariarum ultima parum breviores et inter se aequales; quatuor proximae gradatim et parum longiores; septima et octava longissimae et aequales, harum omnium pogoniis externis sensim latitudine crescentibus; penultima brevior, ultima brevissima, hae duae isopogones et pennis parapteri similes. Parapterum breve, olivaceum. Tectrices superiores huic concolores, inferiores sulphureae. Campterium sulphureum, nigro punctatum.

Cauda elongata, emarginata. Rectrices duodecim transversae: extimae paullo longiores reliquis, modice ad intimas brevissimas usque decrescentibus, omnes supra infraque remigibus concolores, extremo apice obsolete pallido. Calypteria superiora dorso concolora, inferiora flavida, linea singulae plumae arcuata, nigricante, margini subparallela.

Pedes ambulatorii, mediocres, congrui, plumbeo-nigricantes. Tibiae paullo ultra suffraginem plumosae: plumis flavescentibus, nigro maculatis, tarsi basin antice tegentibus, suffragine postice nudo. Tarsus vix halluce longior. Acrotarsia et acropodia scutulata: scutulis integris, illorum elongatis et simul paratarsia obtegentibus, horum abbreviatis. Plantae nudae. Digiti acrodactylis scutulatis: anticorum intermedius lateralibus inter se aequalibus longior, vix ima basi cum extimo coalitus et halluci robustiori aequalis. Ungues incurvi, acuti, majusculi, pedibus concolores; anticorum laterales aequales, intermedius longior, posticus hunc longitudine vix superans, sed magis incurvus et validior.

Femina et pullus (masculus) mari, hic descripto, omni parte similes, si excipias cristam feminae minorem, pulli minimam: plumis externis nigricantibus, basi pallide variegatis, nec vero nigris, et utriusque pogonium externum, in remigum prima non serratum.

Sistit tabula marem magnitudine naturali et remigis extimae dimidium apicale, pogonii externi serraturam monstrans, magnitudine aucta.

MENSURAE.

Secundum pedem Viennensem.

		Ped.	Poll.	Lin.
Longitudo	ab apice rostri ad extremum caudae -	—	7	—
——	rostri ab ipsius apice ad oris angulum -	—	—	$8\frac{1}{2}$
——	cristae - - - - - -	—	1	—
——	alae complicatae - - - - -	—	3	8
——	caudae - - - - - -	—	2	8
——	tarsi - - - - - - -	—	—	11
——	digiti anticorum intermedii - - -	—	—	10
——	unguis postici - - - - -	—	—	4

EMYS. DUMERIL.

TESTUDINES. LINN. CHELONII. BRONGNIART.
PHOLIDOTA, TESTUDINATA. MERREM.

GENERIS CHARACTEREM

essentialem et naturalem, a clarissimo Schweiggero in Prodromo Monographiae Cheloniorum stabilitum, Emydis radiolatae descriptioni praeposui.

EMYS MAXIMILIANI.

EMYS collo elongato, pedibus palmatis: palmarum plantarumque digito quinto inermi; testa humili, antice depresso-plana, postice convexula, carinata: scutellis per lineas angulato-concentricas rugosis, areolatis: areolis parvis, excentricis; margine medio revoluto, postico dilatato, serrato.

Novam hanc Emydem indefessus, Brasiliam hucusque peragrans, Dom. Joan. Natterer in Capitania St. Paulo detexit, ejusque unicum transmisit specimen, optime effarctum. Quam ego speciem Celsissimi naturae scrutatoris, Maximiliani Principis de Wied-Neuwied, recentiorum in ditissimam illam terrae plagam peregrinantium gloriosi antecessoris, nomine inscripsi.

DESCRIPTIO.

CAPUT ad latera recondendum, depressum, ovatum, vertice plano, glabro; supra fuscum, subtus luteo-albidum. NASUS convexus, glaber, naribus in ejus apice prominulo approximatis, minutis, orbicularibus. MAXILLA superior arcuata, laevis, antice deorsum retusa, margine integerrimo inferiorem laevem et apice obtusulam arcte cingens. TYMPANUM insertioni mandibulae inferioris supraimpositum, magnum, subrotundum. OCULI .... in effarcto animali deficiebant.

COLLUM elongatum, teres, supra tuberculis minutis papillosum, subtus glabrum, capiti supra infraque concolor: coloribus per lineam rectam, ab oris angulo ad truncum usque decurrentem, exacte limitatis.

TESTA obovata, humilis, antice depresso-plana, rotundata; postice convexula, carinata; una cum margine fusca. SCUTELLA disci quatuordecim, lineis elevatis, tenuibus, angulato-concentricis dense rugosa, areolata: areolis parvis, tuberculato-punctatis, excentricis; dorsalia sex: primum minimum, subpentagonum, margine postico latissimo, arcuato; secundum maximum, subquadrangulare: marginibus antico et postico introrsum arcuatis, hoc angustiore, lateralibus oblique rectis, angulis anticis productis, dilatatis, angulato-rotundatis; reliqua magnitudine decrescentia, (exemto ultimo) arcuato-subhexagona; ultimum subtriangulare, angulo antico rotundato; carina obtusula, in scutello tertio exoriente, in ultimo evanescente; lateralia irregularia, subpentagona: primum maximum, angulo antico producto; reliqua magnitudine decrescentia. In his et dorsalium secundo areolae centro approximatae, in dorsalium reliquis margini postico adjacentes, et, ubi carina percurruntur, glabrae. MARGO testae antice horizontalis et obsolete extrorsum serratus, in medio angustatus et revolutus, postice dilatatus et grosse introrsum serratus, ubi femora postica tegit, planiusculus, haec inter et caudam resupinatus, subtus luteo-albidus; bracteae, quibus obtegitur, viginti quatuor: anticae minimae,

quadrato-rotundatae; his adjacentes maximae, cum proximis subpentagonae; laterales angustissimae; posticae latiores, irregulari-rhomboidales, angulo postico, marginem excedente, hujus serraturam formantes; omnes glabriusculae, lineis aliquot parallelis, parum elevatis, ad marginem notatae.

Sternum solidum, per symphysin cum testa conjunctum, ellipticum, antice subtruncato-rotundatum, lateribus repandum, postice bifido-excisum: lobis acutis, angulo interjacente obtuso; luteo-albidum, ad margines vel in medio bractearum obliterato-fuscatum; bracteis tredecim obtectum. Harum tres anticae minimae: intermedia panduraeformis, adjacentes triangulares; secundum par vomeriforme: arcu introrsum, apice deorsum verso; tertium huic subsimile, in parallelogrammum abiens; quartum transverse angustatum, subparallelogrammum; penultimum trapeziforme; ultimum subrhombeum, lobos posticos formans; omnes lineis impressis, margini superiori et interno parallelis, areolam excentricam amplectantibus, extrorsum apertis notatae.

Pedes squamoso-rugosi, fusci, femoribus tibiisque subtus luteo-albidis, pentadactyli, palmati: membrana digitos conjungente ad marginem denticulata, in plantis largiore; palmarum plantarumque unguibus quatuor, validis, arcuatis, acutis, digito quinto inermi; tibiis posticis subtus squama, caeteris majore, ossea munitis.

Cauda fusiformis, non exserta, fusca.

Mensurae.

Ad pedem Viennensem.

	Poll.	Lin.
Longitudo animalis collo protracto - - - -	5	$9\frac{1}{2}$
— capitis - - - - - - - -	1	1
— testae - - - - - - - -	4	—
— sterni a margine antico ad angulum posticum	3	—
— caudae - - - - - - - -	—	$8\frac{1}{2}$
Latitudo capitis pone aures - - - - -	—	$8\frac{1}{2}$
— testae in scutello secundo vertebrali - -	2	5
— — summa, in scutello quinto vertebrali -	2	$8\frac{1}{2}$
— sterni summa - - - - - -	1	$10\frac{1}{2}$
Altitudo testae in primo scutello vertebrali - -	—	$2\frac{1}{2}$
— — in secundo — — - - -	—	5
— — in quarto — — - - -	—	9

EMYS. DUMERIL.

TESTUDINES. LINNÉ. CHELONII. BRONGNIART.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. SCHWEIGGER. *)

DIGITI distincti. TESTA squamosa ossea. STERNUM dilatatum, solidum. ROSTRUM corneum.

GENERIS CHARACTER NATURALIS. SCHWEIGGER.

CORPUS aut nudum, aut papillosum aut squamulis obtectum. CAPUT sub testam retractile aut ad latera recondendum, squamosum aut nudum. MAXILLAE corneae, plerumque integrae, superior inferiorem pyxidum instar claudens. COLLUM utplurimum nudum et teres. TESTA squamosa, in plurimis convexa: costae undique coalitae suturis parallelis, et corpora costarum plus minusve distincta. STERNUM dilatatum solidum, squamosum, uni-bi-aut trivalve, ligamentis, per symphysin aut suturis osseis testae adnexum. PEDES digitati, palmati, rarius subliberi, unguiculati. UNGUES acuti. CAUDA testa brevior.

EMYS RADIOLATA.

EMYS collo elongato, pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, testa demisse convexa, fusca; scutellis omnibus planis, radiolato-rugosis.

Unicam Sebastianopoli hujus speciei Emydem accepi, juvenem adhuc, et vivam quidem, sed debilem et morti proximam, qua brevi insecuta, spiritu vini a me servata fuit. Hanc tabula monstrat. Icone lapidi jam inscripta, adulti animalis specimen siccum, cum aliis animalibus e Brasilia misit Dn. Joan. Natterer. Hinc continuo ad ambo specimina respectu habito descriptionem concinnavi.

DESCRIPTIO.

CAPUT ad latera recondendum, depressum, ovatum, vertice plano, levissime carinato, glabro, fronte lineis transverse impressis notata; nucha, temporibusque minute squamulosis: nuchae squamulis retrorsum, temporalibus antrorsum magnitudine decrescentibus; supra nigro-fuscum, subtus luteo-album. NASUS elevatus, apice prominulo: naribus terminalibus, approximatis, minutis, orbicularibus. MAXILLA superior rotundata, laevis, ad angulum oris levissime sinuata, antice retusa, oblique ad nasus apicem ascendens, margine integerrimo inferiorem arcte cingens; inferior ad insertionem robusta, antrorsum tenuior, margine ab oris angulo arcuatim descendente, integerrimo, laevi, apice assurgente acutulo. OCULI rostro vicini, minuti, (iride in vivo animali fusco-aurata), palpebris latis. TYMPANUM pone oris angulum, magnum, suborbiculare, lutescens.

COLLUM elongatum, teres, supra rugis reticulatis tuberculisque interjectis conico-sphaeroideis exasperatum, nigrum; subtus longitudinaliter rugosum, luteo-album (in juniore cum capitis latere inferiore fusco-maculatum).

TESTA demisse convexa, ovata, antice angustior, rotundata, postice dilatata, dorso plano (in juniore sulco longitudinali leviter impresso), fusca. SCUTELLA disci tredecim plana, lineis elevatis tenuibus rectis, a margine postico ad anticum et latera radiatim divergentibus notata, antice et lateribus lineis parallelis leviter impressis subsenis (in juniore unica) circumscripta: dorsalium primum maximum, margine antico angulato-arcuatum, subquinquangulare; secundum et tertium sexangularia; quartum prioribus minus, sexangulare: angulis duobus posticis approximatis; quintum subquinquangulare, angulis duobus anticis approximatis, margine postico dilatato, subarcuato, medio angulum obtusissimum formante; lateralium radiolis excentricis, versus

---

*) Prodromus monographiae Cheloniorum. *Königsberger Archiv für Naturwissenschaft und Mathematik. Jahrg.* 1812. 3. *Stück.*

marginem exterum longioribus: primo trapeziformi, margine extero latissimo, subarcuato; secundo et tertio quinquangularibus: latitudine praevalente, angulis tribus intrôrsum, duobus extrorsum versis, latere antico et postico parallelis; quarto reliquis minore, trapeziformi, latere extero subangulato. Margo testae integer, hinc inde parum repandus, antice et ad femora dilatatus, lateribus subrevolutus, supra caudam declivis et minutim emarginatus. Bracteae, quibus componitur, viginti quinque subquadratae, utplurimum radiolatae et lineis parallelis binis aut ternis, leviter impressis (in juniore nondum conspicuis) margine antico et interiore circumscriptae; harum anticae maximae, laterales angustissimae, femorales dilatatae, caudales breviores; in pagina inferiore laevissimae, ad suturas nigrae. (In juniore bracteae marginales viginti septem: duabus angustissimis, pone medias caudales ultra numerum intrusis.)

Sternum solidum, per symphysin cum testa conjunctum, obovatum, antice rotundatum, retro angustatum, postice bifido-excisum: lobis acutis, angulo interjacente fere recto; lutescens, macula in medio magna, irregulari, ad suturas bractearum profluente, nebulose-fusca (in adulto specimine ad marginem anticum posticumque et ad suturas expansa, medio obsoleta). Bracteae sternum obtegentes tredecim, laeves, lineis paucis parallelis (in juniore unica) ad suturas anticas et interiores leviter impressis circumductae: tres bractearum anticae et duae posticae minores, octo laterales majores, subaequales; anticarum intermedia pentagono-cuneiformis, adjacentibus duabus triangularibus; laterales subaequales: harum primae vomeriformes, margine antico angulato-arcuato, postico recto, oblique introrsum descendente; reliquis paribus quadrangularibus, secundo et tertio pari processu laterali sternum cum testa conjungentibus, quarto pari angulo extero posteriori dentem formans, marginem sterni excedentem (in juniore vix conspicuum); posticae trapeziformes, lobos posticos formantes.

Pedes squamosi, palmati, pentadactyli, digitis membrana larga ad ungues usque conjunctis, supra nigri, subtus luteo-albi (in juveni nigro-maculati): palmarum orbicularium ungues quinque, plantarum rotundato-truncatarum quatuor, digito quinto inermi.

Cauda brevissima, marginem testae parum excedens, conico-acuminata, tuberculata, nigra.

Anus infra caudae basin, orificio amplo, rotundato, in canaliculum, caudam inferne longitudinaliter percurrentem, acuminatum abeunte.

MENSURAE SPECIMINIS JUNIORIS IN TABULA EXPOSITI.

Secundum pedem Viennensem.

	Poll.	Lin.
Longitudo animalis collo porrecto, ad caudae apicem -	5	$2\frac{1}{2}$
— capitis - - - - - - - - -	1	—
— colli a basi sub testa latente ad occiput - -	1	8
— testae - - - - - - - - -	3	$1\frac{1}{2}$
— sterni a margine antico ad angulum posticum -	2	8
— caudae - - - - - - - - -	—	$4\frac{1}{2}$
Latitudo capitis pone aures - - - - - -	—	$8\frac{1}{3}$
— — pone angulum oris - - - - -	—	$6\frac{1}{4}$
— testae in scutello secundo vertebrali - - -	2	1
— — in scutello quarto vertebrali - - -	2	$2\frac{1}{2}$
— sterni summa, in secundo pari bractearum lateralium	1	$5\frac{1}{2}$
Altitudo testae cum sterno - - - - - -	—	$11\frac{1}{2}$

Mensurarum speciminis adulti serius missi addo praecipuas:

Longitudo testae - - - - - - - - -	5	—
— sterni a margine antico ad angulum posticum -	4	6
Latitudo testae in scutello secundo vertebrali - - -	3	$7\frac{1}{3}$
— — in scutello quarto vertebrali - - -	4	3
— sterni summa - - - - - - - -	2	$7\frac{1}{3}$
Altitudo testae cum sterno - - - - - -	1	9

Ceterae proportionales, sed in partibus cute obtectis minus bene dijudicandae.

COLUBER. DAUDIN.

SERPENTES. LINNÉ. OPHIDII. BRONGNIART.
SQUAMATA, OPHIDII. OPPEL. *) OPHIDII, VERI. CUVIER.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

TELA venenifera nulla; SQUAMAE superiores inter se aequales; SCUTA abdominalia totum abdomen cingentia; SCUTELLA subcaudalia in duplici serie.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

CAPUT a trunco plus minusve distinctum, ellipticum aut ovatum, postice latius, antrorsum angustatum, depressum, in quibusdam convexum; scutis majoribus novem polygonis, in quatuor series transversales dispositis tectum. NARES minutae, pone apicem nasi laterales. OCULI valde distincti, prominentes. DENTES acutissimi, aequales, in maxilla superiore duplici, in inferiore simplici serie dispositi; duobus nonnunquam longioribus, non perforatis in maxilla superiore. LINGVA longa, linearis, bifida, laciniis cuspidatis. TRUNCUS saepissime cylindricus, non raro tamen compressus vel subangulatus. SQUAMAE superiores inter se aequales, interdum in medio dorsi parum majores, nunquam hexagonae. SCUTA abdominalia totum abdomen cingentia, in plurimis speciebus integerrime arcuata, in aliis autem ad latera in angulum flexa. ANUS transversalis. CAUDA trunco conformis, tenuiter acuminata, longitudine varians. SCUTELLA subcaudalia in duplici serie.

COLUBER NATTERERI.

COLUBER, scutis abdominalibus integerrime arcuatis, squamis dorsalibus carinatis, cinereus, nigro-irroratus, vitta nuchae maculisque albis, per lineolas tesselatim interjacentes nigras in taeniam dorsalem concatenatis.

Lectus prope Sebastianopolim.

DESCRIPTIO.

CAPUT ellipticum, convexum, obtusum, cinereum, nigro-irroratum et nebulosum; scutis novem majoribus ad margines depressis tectum: duobus occipitalibus maximis, oblique cuneiformibus, angulatis; verticali oblongo, subhexagono; palpebralibus irregularibus, postice latioribus; frontalium duobus paribus, quadrato-rotundatis: angulo in quolibet extimo truncato; squamis occipitalibus subrhombeis, sensim in longiores lanceolatas dorsi abeuntibus. NARES pone apicem nasi laterales, minutae, subrotundae. OCULI magni, prominentes, (in vivo animali non observati). MAXILLA superior prominens, apice rotundata; scutello rostrali leviter emarginato, triangulari: angulis rotundatis; scutellis marginalibus utrinque octo difformibus: anticis minoribus, penultimis maximis; inferior ovata, convexula, alba; scutello labiali minimo, triangulari: angulis acutis; scutellis jugularibus oblongo-linearibus, per tria paria dispositis, quorum primum scutellum labiale amplectitur; marginalibus utrinque octo: tribus anterioribus trapeziformibus, intermedio maximo, pentagono, posterioribus rhomboideis, ultimo minimo; squamae gulares ovales, ad latera divergentes. DENTES aciculares, acutissimi, recti, retrorsum versi, aequales. LINGUA longa, linearis, profunde bifida, laciniis filiformibus.

TRUNCUS subcompressus, supra cinereus, nigro-irroratus, vitta nuchae maculisque subquadrangulis albis, per lineolas longitudinales nigras, tesselatim interjacentes, hinc inde cruciatas, in taeniam dorsalem concatenatis, anticis vittaque nigro-marginatis; lateribus linea obscura a collo ad

---

*) Annales du Museum d'hist. nat. Tom. XVI. pag. 376.

caudae apicem producta notatus, subtus albidus, lineis quatuor parallelis, nigro-punctulatis, in caudam prolongatis: intermediis approximatis, in pectore ortis, in cauda confluentibus. Squamae dorsi aequales, lanceolatae, leviter carinatae: carina alba, marginibus depressis. Scuta abdominalia 156, laevissima, integerrime arcuata. Anus scuto subtruncato tectus.

Cauda longa, tenuissime attenuata, supra cinereo-nebulosa, subtus albida, lineis quatuor ex abdomine decurrentibus, post intermediarum confluxum tribus, ad apicem usque distinguendis. Scutellorum subcaudalium paria 84, alternatim conjugata, utrinque per angulum inserta, in caudae apice squamis simillima.

Longitudo totius corporis (speciminis delineati): 2 Ped. 3 Poll. 4 Lin. —— capitis: 9 Lin. —— caudae: 7 Poll. 3 Lin. Latitudo capitis: 4 Lin. Peripheria trunci: 1 Poll. 4 Lin. (Mensurae Viennensis).

Observ. Specimini tunica recens exuta descriptio haec est adaequata. Specimina tunica senecta vestita griseo-fusca sunt, maculis notisque iisdem, sed minus manifestis; quorum duo serius e Brasilia misit indefessus Dn. Joan. Natterer, in cujus honorem speciem hanc denominavi.

COLUBER leucocephalus.

Coluber scutis abdominalibus integerrime arcuatis, squamis dorsalibus laevibus, ruber, capite albo, collo maculisque dorsi transversis alternis nigris, abdomine rufescente, immaculato.

Lectus in monte Corcovado, prope Sebastianopolim. Specimen unicum accepi, jam necatum.

DESCRIPTIO.

Caput ovatum, depressum, antice retusum, album; scutis majoribus novem tectum: occipitalibus duobus irregulari-angulatis, obliquis; verticali subpentagono, antice truncato; palpebralibus angustioribus, postice dilatatis; frontalium duobus paribus subquadratis: angulo in quolibet extimo truncato; squamis occipitalibus minutis, rhomboideo-rotundatis. Nares pone apicem nasi laterales, minimae, orbiculares. Oculi magni, prominentes. Maxilla superior parum prominens, apice emarginato-retusa, scutello rostrali triangulari: angulis rotundatis; scutellis marginalibus octo: anterioribus subquadratis, posterioribus pentagonis, primo et ultimo rotundatis; inferior plana, lateribus parallelis, apice biangulari-rotundata, alba; scutello labiali minimo, triangulari: angulis acutis; scutellorum jugularium tribus paribus oblongis: anticis scutellum labiale amplectantibus, intermediis rhomboideis, obliquis, ultimis linearibus, rectis, postice rotundatis; scutellis marginalibus octo: intermedio maximo, tribus huic antice et postice proximis subrhomboideis, ultimo minimo, lanceolato. Dentes minutissimi, conico-aciculares, suberecti, recurvi, anteriores in utraque maxilla a se invicem remotiores. Linguam, forte abruptam, non vidi.

Truncus collo angustato nigro cum capite conjunctus, compressiusculus, ruber, supra maculis nigris transversalibus, alternis, ad latera descendentibus, nonnullis suboppositis et in fasciam brevem transversam confluentibus, ad caudae apicem usque digestis notatus; subtus rufescens, immaculatus. Squamae dorsi aequales, laeves, rhomboidales, apice rotundatae, marginibus subelevatis. Scuta abdominalia 264, integerrime arcuata, glaberrima, ex rufo albida. Anus scuto lunato tectus.

Cauda tenuissime attenuata, apice ex maculis confluentibus nigricans. Scutellorum subcaudalium paria 120, alternatim conjugata, introrsum rotundata, in caudae apice squamaeformes.

Longitudo totius corporis: 1 Ped. 3 Poll. 9 Lin. —— capitis: 6 Lin. —— caudae: 3 Poll. 6 Lin.; Latitudo capitis: 3 Lin. Peripheria trunci: 1 Poll.

CAECILIA. Linné.

SERPENTES. Linné. OPHIDII. Brongniart.
BATRACII, Apodes. Oppel. *) OPHIDII, nudi. Cuvier.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. Oppel. **)

Corpus clavato-cylindricum; Latera rugosa; Anus rotundatus; Cauda nulla.

DESCRIPTIO GENERIS. Oppel.

Caput glabrum, oblongo-conicum, corpore fere minus (angustius); anterius decrescendo attenuatum: maxilla superior magis prominens, margine rotundato; oris apertura minima; caput posterius subdepresso-rotundatum, a corpore ruga solum transversa distinctum. Nares satis distincti. Oculi minimi, vix conspicui, punctis albicantibus perlucentes. Corpus cylindricum, posterius incrassatum, subdepressum; latera ejus rugis anterius abbreviatis, anum versus autem brevioribus, alternantibus sensimque crescendo omne corpus cingentibus stipata; membrana corporis granulis parvis pallidioribus densissime variolosa. Anus rotundatus. Cauda nulla, cum corpore in clavam rotundata.

CAECILIA annulata.

Caecilia naribus non tentaculatis, corpore crasso, nigra, annulis albo-marginatis, ani orificio triquetro.

Lecta prope Sebastianopolim (Rio de Janeiro).

DESCRIPTIO.

Caput cum trunco contiguum, breve, postice latissimum, antrorsum modice attenuatum, rotundatum, depressiusculum, laeve, nigrum: punctis utrinque binis ad oculos albis, quorum anterius, quasi acu pertusum, poro minutissimo oculi aperturam indicat, binisque anticis, narium areolas formantibus. Nares minutissimae, terminales, non prominentes. Os obtusum. Rictus exiguus. Maxillae integrae, laeves, tenuissime albo-marginatae; superior prominens, inferiorem et lateribus paullo superans. Dentes in utraque maxilla numerosi, aequales, aciculares, subrecurvi, arcuatim dispositi, quorum inferiores ore clauso a superioribus circumdantur, hi autem perexiguis, acu quasi expunctis fossulis maxillae inferioris excipiuntur. Palatum dentibus minutissimis, acutissimis, illis maxillae superioris parallelis et approximatis munitum, haec autem inter duas has dentium series similibus fossulis ut inferior, pro excipiendis illius dentibus praedita. Lingua crassa, laevis, integra, rotundata et per plicam cutis marginata, subtus adnata, maxillam inferiorem replens.

Truncus teres, crassus, postice rotundatus et vix crassior, supra saturate niger, infra ex nigro lividus, linea punctorum alborum obsoleta et interrupta a capite ad anum producta. Annuli truncum ambientes, capite segmentoque anali exclusis 84, scuta mentientes, sed non nisi cutis sectiones contiguae, lineares, exceptis duobus anticis fere aequales, versus extremitates paullo angustiores, postice albo-marginati: marginibus corpore extenso latioribus; supra tuberculis depressis, rotundatis, nigris, in medio corporis distinctissimis, versus extremitates confluentibus, intermixtis punctis impressis copiosis, densissime variolosi; subtus punctis albis per totam cor-

---

*) Annales du Museum d'hist. nat. Tom. XVI. pag. 411.
**) Eodem loco.

poris longitudinem copiosissimis, oculo munito porum centralem monstrantibus, interjacentibus tuberculis paucioribus fuscis, obsiti; unus alterve lituris parvis irregularibus albis, cum margine confluentibus notatus; annulorum bini antici duplo latiores, per lineam supra impressam albam subdivisi: primus supra infraque margine antico, alter subtus margine postico arcuato; posticorum ultimus cum segmento anali supra confluens, subtus distinctus.

Segmentum anale hemisphaericum, ano infra apicem sito: orificio triquetro.

Observ. Species haec affinis videtur Caeciliae albiventri Daudin, sed annulorum margine albo et ani orificio triquetro satis distincta.

Mucus poris cutaneis vel etiam ano excretus et coagulatus, animalis in spiritu vini asservati segmentum anale, membranae olivaceae instar, dense obducit.

Exemplar unicum jam necatum accepi, quare nec observationes circa vivi animalis qualitates instituere, nec rugas laterales, in descriptione generis indicatas, exacte distinguere mihi licuit.

Lusitani serpentem hunc, ob corpus postice capitis instar rotundatum, vocant: Cobra de duas cabezas. Venenatum de consueto credunt incolae, sed innocuus est, telis veneniferis carens.

MENSURAE EXEMPLARIS IN TABULA EXPOSITI.

Secundum pedem Viennensem.

	Ped.	Poll.	Lin.
Longitudo totius corporis - - - - - - -	1	4	—
—— capitis - - - - - - - -	—	—	$6\frac{1}{2}$
—— maxillae superioris ab apice ad angulum oris -	—	—	$6\frac{1}{4}$
—— —— inferioris ab apice ad angulum oris -	—	—	$5\frac{1}{4}$
—— segmenti analis - - - - - - -	—	—	$4\frac{1}{2}$
Latitudo capitis summa - - - - - - - -	—	—	$6\frac{3}{4}$
—— —— juxta oculos - - - - - - -	—	—	$5\frac{1}{2}$
—— trunci summa - - - - - - - -	—	—	8
—— segmenti analis - - - - - - -	—	—	$7\frac{1}{4}$
Distantia narium - - - - - - - - -	—	—	2

HAMADRYAS.

LEPIDOPTERA. Linné. GLOSSATA. Fabricius.

LEPIDOPTERA, DIURNA, PAPILIONIDES. Latreille.

Observ. Genus novum methodo Fabriciana introducere aptius duxi, quam divisiones et subdivisiones generis Nymphalis secundum perspicacissimum Latreille multis verbis adferre.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi duo, elongati, compressuli, triarticulati: articulo secundo longissimo, basi curvato, tertio recto, subulato, obtuso; setosi, basi barbati. Antennae extrorsum vix incrassatae, latere interno spinulosae: articulis latere externo convexis, interno angulatis, apice tridentatis. Alae amplae: anticae subdeltoideae, angulis rotundatis; posticae trigono-ovatae, repandae, ad angulum analem rotundatae; areola disci postice clausa. Pedes antici (in utroque sexu) spurii.

Observ. Instrumenta cibaria, ab oculatissimo Fabricio ad fundandum systema Insectorum introducta, quam praestantissima, sola tamen ad characterem generis sufficere non existimo, sicut nec rostrum ad avium nec dentes ad mammalium classificationem sufficiunt.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Palpi duo, elongati, assurgentes, compressuli, attenuati, capite longiores, rectiusculi, triarticulati: articulo primo brevissimo, difformi; secundo longissimo, basi curvato; tertio brevi, recto, subulato, obtuso; undique setosi: setis ad utrumque latus adpressis, ad margines longioribus, bifariis, basi deorsum in barbam, sub apice retrorsum in penicillum acutum elongatis. Lingua spiralis, depresso-plana, elongata, linearis, cornea, sub clypeo enascens, inter palpos convoluta; e filis duobus, tubulosis, depressis, leviter coalitis composita; apice attenuata, bifida, vix intra palpos latens. Clypeus: ruga transversalis, cornea, glaberrima, brevissima, linguam nec basi tegens. Antennae subfiliformes, semicylindricae, extrorsum sensim et vix incrassatae: articulis 57, latere exteriore convexis, interiore angulato-tricarinatis, apice tridentatis; longitudine a basi ad medium crescentibus, a medio ad apicem decrescentibus; extremo minimo, rotundato. Alae amplae: anticae subdeltoideae, angulis rotundatis; posticae trigono-ovatae, extrorsum dentato-repandae, ad angulum analem rotundatae; areola disci postice clausa, nervos radiatim emittente. Pedes antici (in utroque sexu) spurii, pilosi; reliqui gressorii: tibiis tarsisque spinulosis, unguibus bigeminis; intermedii longissimi.

Habitus et Victus Imaginis. Papilionides e maximis, tarde volitantes, sylvas amantes, ubi alis conniventibus, lacunarum marginibus insidere solent, quorum liquores sugunt.

Metamorphosis a me, per exiguum temporis spatium, quod in Brasilia degi, non observata.

Affinitas. Palpis, antennis, alarumque forma generi Morpho Fabr. proximum, sed areola disci in alis posticis clausa, ab illo distinctum genus, cui adscribendi Pap. Idomeneus, Teucer, Automedon Fabr. Ilioneus Herbst, aliique.

Etymologia. Sit generi huic, sylvas amanti, nomen Dearum, quibus arborum tutela commissa.

HAMADRYAS Reinwardti.

Hamadryas alis supra disco cyaneo, limbo nigro: anticis apice fulvis, albo nigroque notatis; subtus fuscis, albido nigroque undulato-marmoratis, fascia nigro-variegata percursis: anticis ad apicem ocellatis: ocellis quatuor parvis, infimo orbiculato majori; posticis in fascia biocellatis: ocello altero coeco ad marginem anticum, altero discoidali, ovato, maximo.

Synon. Morpho Reinwardtianus. *)

---

*) Annales generales des sciences physiques. Par *M. M. Bory de St. Vincent, Drapiez et Van Mons.* Sept. livraison. Mars, 1821. pag. 278. Pl. CIX. fig. 5.

Observ. Delineatione lithographica pulchrae hujus speciei jam absoluta, prodiit fasciculus operis citati, ejusdem insecti descriptionem et iconem continens. Nolui meam iconem, abinde non primam quidem sed multo exactiorem, abjicere, et jus publicationis primae respiciens, nomen ibi impositum insculpendum curavi. Insectum autem nec Morphonibus nec alio generi Fabr. adnumerandum esse, accuratiore examine edoctus sum, ideoque novum illi nomen genericum imposui, servato tamen specifico, quo naturae scrutator meritissimus honoratur.

Habitat in sylvis Brasiliae, rarus. Unicum prope Sebastianopolim cepi specimen femineum, mense Novembri. Aliquot specimina, mares et feminas, serius misit Dn. Joan. Natterer, prope Matto dentro et Thaubaté Capitaniae Rio de Janeiro mense Novembri et Decembri capta.

DESCRIPTIO.

Caput pilis nigricantibus vestitum, fasciculo uno alterove ad latera verticis luteo. Oculi castanei. Palpi setis ad latera dense adpressis, fuscis, ad margines longioribus, bifariis, cum barba baseos lutescentibus, obtecti. Lingua e fusco nigricans. Antennae longitudine thoracem cum abdomine fere aequantes, e fusco nigricantes.

Thorax pilis mollibus cyaneo-micantibus tectus. Pectus pilis fuscis et lutescentibus variegatum.

Alae supra disco cyaneo, viridi-micante, ad alarum basim pilis caerulescentibus vestito, limbo nigro: coloribus confluentibus; anticae apice fulvae: colore in margine externo descendente et attenuatim evanescente; macula nigra difformi, didyma, introrsum albo-subocellata ad marginem apicis anticum, lituraque alba marginali, limbo proxima, notatae; posticarum margine interno deflexo, e fusco lutescente, pilis concoloribus obducto; subtus luteo-fuscae, albido nigroque undulato-marmoratae; fascia transversa fusca subflexuosa, maculis striisque nigris irregularibus: vel arcuatis, vel subellipticis, aut angulato-flexuosis notata, in alis anticis introrsum obliterata, a margine antico alarum anticarum usque ad angulum analem posticarum percursae; area fasciae extrorsum adjacente lineis undulatis anastomosantibus albidis, fasciae parallelis variegata, pruina cinerascente leviter obducta; area alarum marginali lineis similibus nigricantibus variegata; anticae apice subunicolores, testaceo-fuscae, ocellis quatuor parvis notatae: quorum infimum maximum orbiculatum, iride virescente, pupilla nigra, puncto excentrico albo, orbiculo tenuissimo luteo; supremum marginale, semilanceolatum, apice albo; interjacentes duo multo minores, ochracei, obliterati, introrsum supercilio albo distanti notati; hos inter et marginem externum lineae huic parallelae duae, undulatae, initio pallidae, ulteriori decursu nigrae et angulato-flexuosae; margine interno, quousque ab alis posticis tegitur, cinerascenti-pruinosae; ab angulo dorsi ad apicem tres pollices aequantes; posticae biocellatae: ocellis fasciae impositis; altero coeco, horizontali-ovato, supra linea marginali alba notato ad marginem alae anticum; altero discoidali, verticali-ovato, maximo: pupilla nigra, supra punctis albis, in lineam arcuatam confluentibus notata, orbiculo angusto flavo, deorsum ochraceo; macula parva subrhomboidali, pallide-fusca, nigro-marginata, ocellis his interjacente; ad marginem internum striis abbreviatis, horizontalibus, nigris variegatae et tenuissime rufo-marginatae; versus marginem externum, linea angulato-flexuosa atra, punctatim interrupta notatae; in diametro maximo, ejusdem ut alae anticae, longitudinis.

Pedes antici rufescentes, reliqui e fusco lutescentes, femoribus extrorsum fuscis.

Abdomen supra pilis caerulescenti-micantibus, subtus e fusco lutescentibus tectum; mari conico-attenuatum, apice pilis fuscis penicillatum; feminae oblongo-ovatum.

Observ. Femina mari simillima; huic tamen, praeter abdomen attenuatum, color cyaneus in alarum disco superno paullo saturatior et minus viridi-micans.

EXPLICATIO TABULAE.

Insecti specimen femineum alis expansis, supra et subtus visum, magnitudine naturali; et antennae fragmenta magnitudine valde aucta: a) basale a latere superiore, b) intermedium a latere interiore, c) apicale a latere exteriore.

CASTNIA. Fabr.

LEPIDOPTERA. Linn. GLOSSATA. Fabr.

LEPIDOPTERA, CREPUSCULARIA, SPHINGIDES. Latr.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS.

Palpi adpressi, capite breviores, non contigui, subcylindrici, triarticulati: articulo primo brevi, difformi; secundo longissimo; ultimo minimo; squamati. Lingua spiralis, longissima, palpis non penitus obtecta. Antennae clavatae: clava elongata, fusiformi, apice uncinato-recurva, aristata; utrinque laeves. Alae amplae: anticae subtriangulares, incumbentes; posticae rotundatae.

GENERIS CHARACTER NATURALIS.

Palpi duo, capite breviores huicque adpressi, non contigui, subcylindrici, triarticulati: articulo primo brevi, crasso, difformi; secundo longissimo, basi curvato, apice attenuato; ultimo minimo, conico; dense squamati: squamis paleaceis, in articulo primo longioribus. Lingua spiralis, longissima, depresso-plana, linearis, glabra, circulo spirae extimo palpis non obtecto. Clypei loco, protuberantia arcuata, glaberrima. Frons dense pilosa: pilis fastigiatis. Oculi magni, prominuli. Antennae articulis 85 compositae, cylindricae, clavatae: clava terminali, elongata, fusiformi, apice breviter attenuata, uncinato-recurva et aristata: arista brevi, recta, pilis paucis eam excedentibus cincta; squamis minutissimis, articulorum limites instar pruinae occultantibus, dense vestitae. Alae amplae: anticae deflexo-incumbentes, subtriangulares, margine antico leviter arcuato, interno versus basin arcuatim dilatato, postico recto; angulo antico acuto, postico rotundato; nervo costae proximo, paginae inferioris, versus basin in frenulum, ad excipiendum alae posticae retinaculum, incrassato; posticae suborbiculares, angulo anali rotundato, prope basin marginis antici retinaculo setaceo munitae, ab anticis (sedente animali) penitus tectae. Alarum venae bifidae trifidaeve, areolis omnibus postice apertis. Pedes (utriusque sexus) omnes completi, robusti: primorum coxis exsertis, longitudine femorum; tibiis brevissimis, ad basin lateris interioris squama concaviuscula, adpressa, ultra medium tibiae producta, et in dentem acutum abeunte, fasciculoque pilorum squamam hanc tegente, munitis; intermediorum femoribus longissimis, tibiis ea subaequantibus, apice bispinosis; posticorum tibiis femora superantibus, prope apicem et apice ipso bispinosis; omnium tarsis latere interiore dense spinulosis, biunguiculatis. Abdomen incrassatum, squamis tectum: ad basin longioribus, setaceis, erectis; reliquis brevioribus, adpressis; penicillo setaceo anum tegente.

Habitus et Affinitas. Antennis clavatis ad papilionides, alarum forma et complicandi modo ad bombycites magis quam ad sphingides accedit hoc genus, a Linnéo papilionibus intermixtum. Volatus ei diurnus, sed uti bombycibus, diurno tempore exterrefactis, incerta directione agitatus, et repentino in arborum vel fruticum frondibus recubitu saepius interruptus.

Metamorphosis a me non observata. Teste autem Sibylla Merian (*Metamorph. Insect. Surinam. tab.* 36, ubi Castniae species depicta est), eruca pedibus sedecim instructa, teretiuscula, nuda; pupa laevis, absque folliculo, extremitate postica plantae alligata.

CASTNIA Schreibersi.

Castnia alis anticis supra ex rufo fuscis, macula magna, basin implente, subrhomboidali, pallidiore, in fasciam albidam abruptam et obliteratam excurrente, altera breviore a costae medio descendente; subtus e fusco nigris, lacteo bifasciatis: fasciis obliquis, extrorsum confluentibus et ad angulum alae posticum in gyrum productis; posticis supra atris, in medio macula oblonga, biramea, caesia, lilio heraldico non absimili, punctoque uno alterove huic extrorsum adjacente et concolore, notatis; subtus nigricantibus, versus marginem albido irroratis.

Hanc e maximis hujus generis speciem, nuper e Brasilia allatam (loco, ubi capta, non indicato), e collectione insectorum Musei historiae naturalis Caesarei benevole mecum communicavit ejusdem Musei, de cujus incrementis et distributione systematica optime meritus est, Praefectus Eques de Schreibers, in Entomologia et aliis historiae naturalis disciplinis versatus, nec non missionem naturae scrutatorum Austriaco-Brasiliensem cura et studio prosecutus. Antecedat in illius honorem denominata aliis speciebus novis, in hoc opere promulgandis.

DESCRIPTIO.

Caput pilis fuscis vestitum. Oculi ex rufo fusci. Palpi squamis testaceis, lateralibus bifariam adpressis, basalibus longioribus et radiatim divergentibus, dense obtecti. Lingua castanea, pagina extima (non obtecta) nigricante vel nigra. Antennae longitudine abdominis, rufo vestitae, clava latere interno albida.

Thorax squamis fuscis, adpressis, dorsalibus minutis, anticis et lateralibus majoribus, tectus. Pectus e fusco testaceum.

Alae anticae supra ex rufo fuscae, colore ad margines saturatiore, macula magna pallidiore, subrhomboidali, alae basin implente, apice suo acuto medium alae attingente ibique in fasciam albidam, obliteratam, excurrente, alia ejusdem coloris huic proxima, oblique a costa descendente, versus prioris apicem directa, sed breviore, similiter abrupta et obliterata; subtus nigrae, apicibus fuliginoso-nigris, fasciis binis lacteis, oblique a margine alae antico ad posticum excurrentibus, in medio confluentibus, ad angulum posticum (margine intacto) in gyrum angulo parallelum productis: gyro venis alae interrupto; posticae supra atrae, in medio macula oblonga, apice (margini postico propinquo) biramea, caesia, ob ramos apicales recurvos et basin dilatatam lilio heraldico non absimili, punctoque uno alterove huic extrorsum adjacente et concolore, notatae; basi squamis erectis, elongatis, linearibus et cuneiformibus intermixtis, varicoloribus, versus medium et angulum analem excurrentibus, dense obsitae; subtus fulginoso-nigrae, versus marginem posticum albido vel caerulescente irroratae, punctis minutissimis ad angulum analem in lineam obliquam, utrinque abruptam, accumulatis; punctis subinde aliquot majoribus, distantibus, albidis, serie margini propinqua et parallela dispositis. Alae omnes supra infraque viridi et violaceo varicolores: supra in anticis colore viridi, in posticis violaceo praevalente, subtus aequa distributione uno cum altero alternante. Retinaculum, seta simplici, fuscum.

Pedes testaceo-fusci. Abdomen ovato-incrassatum, supra thoraci, subtus pectori concolor; squamae illius basales, basalibus alae posticae similes et simul varicolores.

Mas feminae simillimus, excepto abdomine attenuato et graciliore.

EXPLICATIO TABULAE.

Insecti specimen femineum, alis nunc complicatis, nunc expansis supra et subtus, visum, magnitudine naturali; a) caput antice, b) idem a latere, una cum lingua evoluta, visum, magnitudine aucta; c) palporum sinister, a latere exteriore, d) idem demtis squamis, e) antennae dimidium apicale, f) pedum anticorum dexter et g) posticorum sinister, a latere interiore visi; magnitudine magis aucta.

Stifftia chrysantha

Knapp in lapid. del.

Lithogr. Kunike exc.

Conchocarpus macrophyllus.

Dichorisandra thyrsiflora.

Vellozia candida.

Esterházya splendida.

Buchberger ad viv. Sandler in lap. del.

Inst. lithogr. Vienn. impr.

Oxalis rusciformis

Buchberger ad viv. Sandler in lap. del.

Inst. lithogr. Vienn. imper.

Metternichia Principis.

Kolb in lap. del. Inst. Lithogr. Vienn. imper. f.

Echites tenuifolia.

Buchberger ad viv. Kohl im kays. del.

Inst. Schulz. Vienn. in pr.

Griffinia hyacinthina.

Sandler in lap. del.

Inst. lithogr. Vienn. impr.

Helicteres brasiliensis.

Sickony ad nat. et. in lapid. del.

Inst. lithogr. Vienn. inscr.

a A

B C D

e

G

J

F

H

Passiflora amethystina.

Coll. ms. del. Curtis in Lyc. del.

Publ. Mag. Nat. Lond.

Gloxinia Schottii.

Satory ad nat. et. in lap. del.

Inst. lithogr. Vienn. imp.

Tacchus chrysopygus Natterer l.

Lith. de Rigo Frères, Editeurs, rue Vendôme, en face, à Paris.

Imp. Lemercier et Cie.

Corvus tricolor. Natterer

Stoll ad. nat. Sandler in lap. del. *Anst. lithogr. Vienn. impr.*

Lanius undulatus.

Tanagra chalybea

1. mas. 2. femina.

Tanagra diademata.

Sandler in Lap: del: *Inst. Lithogr: Vienn: impr.*

Oxyrhynchus serratus.

Vinck ad. nat. Sandler in lap. del. *Frost. lithogr. Vienn. impr.*

Emys Maximiliani.

Sandler in lap: del:

Inst: lithogr: Vienen: impr.

Emys radiolata.

Brunner ad nat.

Erminy in lap. del.



1.

2.

1. *Coluber Natterери.* 2. *Coluber leucocephalus.*

Cœcilia annulata.



Morpho Reinwardtii

Funk ad nat. Sandler in lap. del.

Inst. lith. gr. Vienn. impr.

a

c

d



b

f

g



e

Castnia Schreibersi.

Sandler ad. nat. in lap. del.

Anst. lithogr. Wien. impr.